UNIV. OF
TORONTO
LIBRARY

Digitized by the Internet Archive
in 2010 with funding from
University of Toronto

http://www.archive.org/details/quaeinatticarepu00tr

QUÆ

IN ATTICA REPUBLICA

PARTES

A SCENICIS SCRIPTORIBUS

VULGO DEFENSÆ FUERINT

AGINNI, TYPIS EXCUDEBAT P. NOUBEL

78129

QUÆ
IN ATTICA REPUBLICA
PARTES
A SCENICIS SCRIPTORIBUS
VULGO DEFENSÆ FUERINT

THESIM PROPONEBAT
A. DE TRÉVERRET

24243 3
25/3/30

PARISIIS
APUD ERNEST THORIN, BIBLIOPOLAM
58, BOULEVARD SAINT-MICHEL, 58

1868

OPTIMI AC DILECTISSIMI PATRIS

MANIBUS

HOC OPUS DICAVIT

FILIUS

A. DE TRÉVERRET

VII

DOCTISSIMO VENERANDOQUE MAGISTRO

ÆM. EGGER

SE UTILIUM CONSILIORUM MEMOREM

GRATUS TESTATUR DISCIPULUS

A. DE TRÉVERRET

PROOEMIUM.

Non in foro tantum nec in circulis, sed etiam in theatro; non a solis oratoribus ducibusve, sed etiam a poetis consilia rerum administrandarum Athenienses quæsivisse infinita exempla comprobant. De comicis præsertim nemo dubitare potest, quin sese populi consiliarios esse declarent simul et glorientur; ipsi enim multarum comœdiarum tituli publicas res in his agi significant. Raro quidem tragici poetæ populo se aliquid suasuros commendaturosve tam aperte profitentur; quorsum autem tot sententiæ pertinerent, sive chori carminibus, sive alternis personarum sermonibus insertæ, nisi populo aliquid probare, aliquam vivendi vel res suas gerendi normam præscribere voluissent? Et illud ipsum quod rarum dicimus, apertum scilicet populum edocendi consilium, in quibusdam tragœdiis, vel leviter intuentium oculis apparet. Verisimile ergo videtur in scena, ut in foro, omnes factiones decertasse; Cimonis ac Periclis, Niciæ, Alcibiadis et Cleonis ipsius amicos, causam suam per fabulas apud populum egisse

et tragica comicave Musa interprete, temeritatem gentis incendisse alios, alios autem coercuisse. Id tamen, ut verisimile, ita verum non esse comperitur, nec inter poetas plebicolis, et popularium turbarum auctoribus, et isti factioni quæ, ut Plato Tulliusque dicunt[1], nimiam libertatem sitit, ullum prope locum relictum fuisse. Optimatum semper scena fuit; optimatibus fere solis favit utraque musa. Quod quidem et exemplis probare tentabimus, et ita argumentis illustrare, ut quam quisque rationem poeta secutus sit, quid boni malive, acri aut moderato, callido aut imprudenti studio, optimatum partibus attulerit, plane perspiciatur. Nec illud quærere omittemus, cur in hanc sententiam diversi moribus, ingenio, philosophia, viri inclinaverint.

Sed unum ante omnia definiamus, quæ sint in Attica civitate optimatum partes, quid commune, quid dissimile inter se illi habeant, qui hoc nomine pariter appellantur. Optimatum enim duces et Isagoram, et Aristidem, et Cimonem, et Thucydidem Alopecium, et Niciam, et Theramenem, et Critiam, historia vocat, nec facile primo intelligitur quomodo sub iisdem signis omnes illi, inter se tam discrepantes, militare potuerint. Sed si optimates eos in Attica civitate fuisse dixerimus, qui popularem reipublicæ statum, populi consilia et voluntates ideo insectari soliti sint, ut potentiam suam

---

[1] Plato, *De Republ.*, L. VIII, pag. 156 (in edit. Schneid. et Bibl. Did.) — Cicero, *De Republ.*, L. I, § 43.

ac jura nobilibus divitibusque solis plebs permitteret, vel concessa sibi jura retinens, saltem divitum sententiis liberos quidem, sed attentos docilesque præberet animos, jam nulli mirum videbitur quod in his partibus non uniusmodi homines reperire liceat : tantum valent diversa ingeniorum natura, diversa rerum temporumque facies!

Quum primum tragici et comici poetæ in Attica nasci et enitere cœperunt, omnia adhuc supererant quæ ad frenandos populi impetus vel excogitaverat, vel potius legibus stabilierat Solo : tres scilicet primariæ civium classes, ex agrorum metallorumque possessoribus ferme conflatæ, solæ magistratus et senatorium munus obibant [1], solæ Areopagum complebant, ingenti auctoritate præditum, et sanctissima censura mores hominum, puerorum institutionem, ipsa concionum decreta examinantem [2]. Quæ quidem Clisthenes, non aperte aggressus, labefecit tamen decem tribubus creatis et antiqua divitum *naucrarorum* potestate fracta[3]. Tum primum, Isagora duce, externorum opes implorare cœperunt optimates, et Lacedæmoniis freti, Clisthenem cum septingentis familiis civitate expulerunt [4]. Nec longum illius victoriæ fructum perceperunt; novissime enim Clisthenes vicit, sed oculos ad Lacedæmonem convertere optima-

---

[1] Arist., *De Republ.*, L. II, c. 9 (in Bibl. Did.) — Plut., *Solon*, c. 18 et 19 (in edit Bekker et Bibl. Tauchn.) = [2] Arist., *De Republ.*, L. II, c. 9. — Isocr., *Areopag.*, 16, 17, 18. — Plut., *Sol.*, 19-22. = [3] Herod., L. V, 66-69. — Aristot., *De Republ.*, L. VII, c. 2. = [4] Herod., L. V, 70-73.

tum partes assueverunt, sive ut illius gentis instituta mirarentur, et apud Atticum populum prædicarent [1], sive ut ejus auxilio adversus inimicos uterentur.

Medico autem bello ingruente, Areopagus ille, legum servator atque custos, in quo tota fere optimatum collecta vigebat auctoritas, magnas addidit Themistocli et libertatis defensoribus vires : militibus enim octonas drachmas quotidie distribui jussit [2]. Et Aristides, quem optimates ducem agnoscebant, prudentia et virtute multum ad servandam Græciam contulit. Quamvis Lycurgum valde admiraretur [3], nihil unquam civitati suæ detraxit ut Lacedæmoni honorem potentiamque augeret; nihil rursus Athenis agi passus est unde bellum inter utramque gentem exoriretur. Quum maritimum imperium per scelus acquirere liceret, turpem occasionem indignatus respuit [4]; quum vero Spartani regis impotentia commoti socii Atheniensibus se libenter dederent [5], eos in fidem recepit, sed ita ut Spartæ famam ac dignitatem elati triumphis Athenienses non violarent. Tunc quoque, populi modestiam et bellicam fortitudinem admiratus [6], omnium magistratum aditus illi aperit, quum id in primis obtinere curet, ut populo maneant antiquæ virtutes; ut multitudinis duces, civium favore freti, nihil præter fas audeant, ut denique Athenienses nihil injusti,

---

[1] Plut., in *Cimon*, 16. = [2] Plut., in *Themist.*, 10. — Aristot., *De Republ.*, L. VIII, c. 3 (Barth. Saint-Hil.). = [3] Plut., in *Arist.*, 2. = [4] Id., ibid., 22. = [5] Id., ibid., 23. = [6] Id., ibid., 22.

nihil nimii sibi vel suis concedant. Post hunc Cimo optimatum signifer incessit, populo ob liberalitatem ac fortitudinem gratus, Athenis maritimum imperium late propagans, sed bellum inter utramque civitatem eruptorum semper avertens. Non timet equidem ne Atticæ dominationis splendore crucietur et inflammetur Spartanorum invidia, nec patriam intra augustiores terminos coercet ut æmulis ejus parcat; sed Spartanorum virtutes, et rempublicam illam quam tanta gravitate reges, ephori, senatores moderantur, in concione Atheniensium laudibus efferre et magna ex parte imitandam proponere gaudet [1]. Cæterum cives suos mitissima manu tractat, nec illis ædificiorum magnificentiam, ambulacrorum amænitatem, ludorum apparatus invidet [2]; sperat nempe, tot illecebris captos, Areopago, senatui, optimatibus, potentiam æquo animo permissuros esse. Ad hoc ferventem populi Atheniensis æstum, quum cæteras Græciæ gentes invadere aut vexare pararet, in Barbaros et in Ægæi maris insulas convertit [3]. Patris ergo similis fuit, qui adolescenti filio et multa agere, multisque voluptatibus frui gestienti decora oblectamenta suppeditat, honestamque viam exercendæ industriæ aperit, ea lege ut paternis consiliis obsequi velit.

Hi fuerant optimatum duces, quum primum tragœdia ita res publicas attingere cœpit, ut certis partibus favere videretur; sed omnia ducum exempla non omnes illi

---

[1] Plut., in *Cim.*, loc. cit., 16. = [2] Id., ibid., 13. = [3] Id., ibid., 18.

qui optimates habebantur prorsus imitati erant. Quum enim tot egregii viri, popularis reipublicæ incommodis territi, cives intra salutaris libertatis terminos, nulla vi adhibita, continere studerent, crudelis vigebat factio, quæ in populum cæca odia fovens, nihil pensi habebat, dum totam ad se potentiam traheret. Hæc, Medico sæviente bello, urbem et universam Græciam hostibus tradere molita est[1], nec communi omnium ruina turpem dominationem in subactas jugo gentes emere dubitabat; hæc Lacedæmonios post missum in exsilium Cimonem, ad diruenda Piræi munimenta clanculum vocavit[2]. Ergo, si optimatum in Attica civitate partes recte æstimare velis, magna servanda sunt inter tot diversi ingenii homines intervalla. Prout enim res ac tempus tulerunt, nunc ad Aristidis Cimonisque vere civilem gravitatem, nunc ad crudelis istius factionis nefanda consilia optimatum animi flexi sunt. Nec mirum est si, populi et plebicolarum peccatis exacerbati, et ægre ferentes quidquid in concione ipsi suasissent civium suffragiis repudiari, sæviora interdum machinati sunt, et cum sanguineis istis Lacedæmoniorum amicis ita coierunt, ut Cimonis mansuetudinem prorsus obliti viderentur. Immania vero quadringentorum senatorum vel triginta tyrannorum scelera cunctis optimatibus non sine summa injuria imputare possimus; nec rursus illos ex optimatum numero eximemus, qui tot flagitia scriptis dictisve

---

[1] Plut., in *Arist.*, 10. — [2] Thucyd., L. I, c, 107.

notaverunt. Quis scilicet Xenophontem non inter optimates reponat, quamvis Critiæ scelera apertissime detestatus sit[1]? Sed nos hoc in primis quærendum habemus quod ad tragicos comicosve poetas in Atticarum rerum historia pertinet.

---

[1] Xenoph., *Hellen.*, L. II, passim. — Id., *Memorab.*, L. I, c. I.

CAPUT PRIMUM.

DE PRIMIS TRAGŒDIÆ CONDITORIBUS ET ÆSCHYLO.

§ 1er. — *De Thespide, Phrynicho, etc.*

A Thespide, qui tragicum opus primus illustravit, nihil genuinum accepimus; quæcumque enim fragmenta sub ejus nomine circumferebantur Heraclidi Pontico jam veteres assignabant[1]. Thespidem igitur optimatibus adversatum esse ex illis versiculis falso colligeremus, quibus homines vetantur, ex eodem luto ficti, genere nobili superbire[2]. Hanc enim sententiam, quæ tam late patet, etsi ad deprimendam generis nobilitatem præsertim spectavisset, saltem ab antiquo tragœdiæ conditore nunquam editam esse constat. Phrynichum vero, qui Æschylo æqualis ætate vixit, inter plebicolas non facile numerem, sed potius neutri factioni favisse crediderim. Scimus quidem ejus fabula, quæ Mileti excidium depingebat, commotos adversus Persas fuisse Atheniensium animos et ad resistendum invasuro hosti præparatos[3] (anno 491 ante J.-C.). Multi autem optimates ac plebis amici pariter ad id cives hortati sunt : Cimo ipse, inter primos, urbe relicta, salutarem classem conscendit[4]. At qua-

---

[1] Diog. Laert., L. V, p. 192. = [2] Thespis, *Fragm*., 6, ed. a Wagn., in Bibl. Didot. = [3] Herod., L. VI, c. 21. = [4] Plut., in *Cimon*., cap. 6.

tuor et decem post annos tragœdiam edidit, cujus choro sumptus præbuerat Themistocles. Phrynichi scilicet *Phœnissis* Salaminiaca victoria celebrabatur, quam Æschylus paulo post in *Persis* cecinit[1]. Hinc quibusdam eruditis placuit res ita disponere, ut Phrynichus in Themistoclis, Æschylus in Aristidis honorem, tragœdias composuisse viderentur[2], et populi atque optimatum partibus sua vicissim laus suumque præconium obtigisse. Quod quidem nec falsum esse dixerimus, nec vero dissimile, sed infirmioribus tamen argumentis subnixum. Primum omnium, etiamsi Phrynichus in *Phœnissis* peculiarem et apertam laudem Themistocli dedisset, num continuo inter Themistoclis ac populi fautores esset reponendus? Quis enim Græcorum Themistoclem aliquando non admiratus est? Nonne illum totius Græciæ conventus longo plausu salutavit[3]. Nonne ipsa Lacedæmon, Athenis invidens et populari reipublicæ ubique infensa, summis eum honoribus prosecuta est[4]? Nil mirum igitur si quis poeta, qui neutri forsitan factioni favebat, gratam omnibus Atheniensibus, imo Græcis, tragœdiam sub Themistoclis patrocinio edidit. Non hunc patronum, ut credo, Æschylus accepisset; sed Æschylum optimatibus valde addictum fuisse plurimis aliis argumentis edocemur, quid vero Phrynichus de rebus publicis senserit ita incertum est ut nullis eum partibus adscribere liceat.

---

[1] *Arg.*, *Pers.*, Æschyl. — Plut., in *Them.*, c. 3. = [2] Bentl. op., p. 293 et sqq.— Welcker (*Mus.*, *rhen.*, 1837, p. 211 et sqq.) Uterque a Wagnerio citatur in *Tragicis fragmentis* Bibl. Did. insertis; ad *Phrynich. Phœn.* = [3] Plut., in *Themist.*, § 17. = [4] Ibid., ibid., ibid.

§ 2. — *De Æschylo.*

Æschylus ipse num *Persas* componendo optimates suos adjuvare instituerit libentissime dubitem. Magna quidem erat Aristidi tunc temporis (anno ante Chr. 473) [1] auctoritas; Themistocles vero jam cæcis suspicionibus ob avaritiam et fastum obnoxius esse cœperat. Attamen in Æschyli tragœdia nil video quo Aristides supra cæteros extollatur. Quum Psyttaliæ insulæ expugnationem, cujus ducem Aristidem fuisse refert Plutarchus [2], vetus poeta enarraret [3], vel Platæensem victoriam, præcipua illius opera relatam, fingeret a Darii umbra prædici [4], num populo et posteris Aristidis nomen commendare nitebatur? Sed quantum huic tragœdiæ defuisset, quam Atticæ laudi consecrabat, nisi præclara Atheniensium adversus barbaros gesta in eadem luce collocavisset! Non ab Aristide solo, sed ab omni civitate, fuisset incusatus. Cæterum, Psyttaliæ certamen et Platæensis victoria non ampliorem locum ibi obtinent, quam ipsa res postulare videtur, et quidquid Themistocles callide fortiterve peregit non minore cura ac splendore expositum est. Quis perfido consilio Xerxem in insidias adduxit, nisi Themistocles vel Sicinus quidam, Themistocli amicissimus? Quis populo suasit ut Laurii montis metalla classi exstruendæ et barbaris arcendis adhiberetur, nisi Neoclis filius? Hæc vero Æschylus egregiis et quasi divino spiritu afflatis versibus [5] commemorat. Non igitur partium studia, nec justissima quidem Aristidis ad-

[1] *Argument. Pers.* = [2] Plut., in *Arist.*, c. 9. = [3] Æschy., *Pers.*, v. 447-471. = [4] Id., ibid., v. 805-810 = [5] Id., ibid., v. 355, v. 238.

miratio hanc tragœdiam peperere, sed solus patriæ amor : nec quia Aristides tunc in civitate plurimum pollebat, id potissimum tempus elegit poeta; quum vero Phrynichus Salaminiacæ victoriæ descriptionem quasi propriam ac sui juris materiam occupavisset et vix restitutis Athenis induxisset in scenam, paucos annos Æschylus exspectavit dum prioris illius fabulæ memoria paulum refrigeret.

Cæterum ea patria, ea stirpe natus erat Æschylus, ita educatus fuerat, ut antiqua instituta a plebicolis labefactari non æquo animo pateretur, quod primis statim verbis ignotus ille grammaticus indicat qui vitam ejus adumbravit : « Ἐλευσίνιος τὸν δῆμον, inquit, ἐξ εὐπατριδῶν τὴν φύσιν ἔχων [1]. Priscæ igitur religionis spectacula, priscæ nobilitatis mores ac disciplina nascentis fere oculos et animum occupaverunt. Hunc cærimoniæ illæ circumdabant, quas ab Ægypto et Oriente peregrini in Græciam attulerant, quas violari aut immutari funestum regioni sacrilegium habebatur. Arcana Cereris eum didicisse nobilissimis versibus Aristophanes significat; nempe ita loquentem inducit : « O Ceres quæ me aluisti, dignum mihi mysteriis tuis sermonem inspira [2] ! » Sed de ea re dubitare nos jubent Clemens Alexandrinus [3], quum Æschylum referat apud judices arcanorum inscium compertum fuisse, et Aristoteles, qui mysteria ab eo citra sacrilegium, utpote ab inscio, prodita fuisse memorat [4]. Insertos quidem Aristophaneæ fabulæ versus ab Æschylo compositos fuisse Græcus interpres nos monet [5], sed utrum poeta suo

---

[1] Anonym., *Vit. Æschy.* = [2] Aristoph., *Ran.*, v. 886, 887. = [3] Clem. Alex., *Strom.*, L. II, c. 14. = [4] Aristot., *De Mor.*, L. III, c. 2. = [5] Schol. Aristot. ad *Ran.*, v. 886.

nomine hæc dixerit, an tragicæ alicui personæ voluerit attribui in incerto relictum est.

Concedamus ergo Æschylum, etsi nobilissima stirpe ortus fuerit, majora saltem mysteria non novisse; at non fieri potest ut patrios Deorum ritus et cærimoniarum omnium origines non attentissima cura indagaverit; quod quidem ejus tragœdiæ vel conniventem cernere cogunt. Quis præsertim *Prometheum*, aut *Supplices* aut *Eumenidum* prologum legens, veterum Deorum seriem summa diligentia recenseri non animadvertat, et ad antiquitatem evolvendam poetæ ingenium nescio qua illecebra sæpius revocari? Adde quod ex illis gentibus ortus erat, quæ Atticam religionem constituerant et amantissimum libertatis populum intra justos fines jamdiu coercere nitebantur. Non ita tamen antiquæ disciplinæ fautor erat, ut recentioris philosophiæ et Pythagoreæ doctrinæ studio vetera illa non temperaret[1].

His artibus instructus ad tragœdiam juvenis accessit; cui operi quanta contulerit non nobis hic persequendum est, sed quos affectus præcipue civium animis injecerit, qualem vivendi et reipublicæ gerendæ viam aperuerit. Multo enim antequam lacessitus a plebicolis Areopagus partium studia tragœdiæ miscendi occasionem præbuisset, jam Æschylus cives suos edocere inceperat. Non is est qui populum tantummodo oblectare tentet, sed animos semper utilibus simul et elatis consiliis erigere. Nec inter tot divinarum rerum humanorumque casuum imagines, ea quæ ad religionem et mores pertinent spectatorem unquam oblivisci patitur. Quem id in primis docet, quod Xenophonteus ille So-

[1] Cic., *Tusculan*, *quæst.* II, 10.

crates [1], quod Plato in libris de *Legibus* [2] et de *Republica* [3] compositis Atheniensium civitati deesse queruntur : digna scilicet veneratione revereri, metuere timenda, et justæ auctoritati parere. Duas homini leges impositas semper memorat, fati nempe et justitiæ. Quæ quomodo inter se convenire possint, vel a tragico scriptore concilientur, non hic scrutari tentabimus ; id certe nemo negabit, in Æschyli tragœdiis, utramque hominum capitibus imminentem perpetuo apparere. Imo si poetæ credimus, adversis infensisque fatis iniqua facinora plerumque viam aperiunt. Quid enim Xerxi seriem immensam malorum induxit, quid prædictas Persico imperio clades tandem ingruere coegit, nisi juvenilis illa regis superbia quæ Deos ipsos ac divinas naturas jugo submittere ausa est, et sacrum maris cursum vinculis cohibere [4] ? Nil igitur ab animis perseverantius arcere conatur Æschylus, quam insolentiam et fastum, et funestam illam ὕβριν unde malorum uberrima seges exoritur, quæque Jovem ipsum, viribus suis, et ut ita dicam, juventute, adversus patrem senioresque Deos abusum, olim e cœlesti solio, meritis pœnis afflictum deturbabit [5]. Hæc igitur præcepta populo Æschylus magnifica vel sublimi specie semper induta tradidit.

Quamvis autem in superstitibus ejus tragœdiis et in amissarum fabularum reliquiis nihil ante *Oresteam* ad partium certamina spectet, quosdam tamen versus ita a populo acceptos fuisse novimus, ut præsentem hominum rerumque statum

---

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. III, c. 5 (ubi Socrates cum Periclis filio loquitur). = [2] Plat., *De Leg.*, L. III. = [3] Id., *De Republica*, L. VIII. = [4] Æsch., *Pers.*, v. 745 et sqq. = [5] Æschy., *Promet. Vinct*, v. 909 et sqq.

designare putarentur. Quum enim Amphiaraum vatem vera pietate ac virtute ductum depinxisset, nec bonum se videri, sed esse reipsa cupientem, et prudentia consilia alta mente semper molientem[1], spectatorum omnis consessus in Aristidem conjecit oculos et unanimo plausu virum salutavit[2], jam Platæensi victoria, et æquitatis tenacissimo studio insignem[3]. Num Æschylus ipsum Aristidem laudare voluerit nemini plane perspicere licet; scimus enim quam sæpe vulgus erret quum ea quæ poetæ sua materia in animum induxit præsentis temporis hominibus et factis alludere judicat. Cæterum haud facile crederem adversarium Amphiaraï, Tydæum, ad Themistoclis effigiem ab Æschylo compositum fuisse : Themistoclem sane urbis perturbatorem, τῆς πόλεως ταραχτορα Eupatridæ nominaverunt, sed homicidam et Erinnys ministrum nemo, nisi dementi rabie abreptus, tantum virum vocavisset. Id ergo inter tot conjecturas certum nobis ac fixum maneat, justi civis imaginem in hac tragœdia ita descriptam fuisse, ut populus prudentiorum consilia audire disceret et errores suos propriamque temeritatem cavere, sapientiores vero populo prava jubenti repugnare pararent : « Justus enim homo, inquit Æschylus, si populo deliranti mixtus fuerit, pari exitio cum eo corruet[4]. »

Sub ejusdem fabulæ finem, simili fere modo populus admonetur objurgaturque. Nam Æchylus orbati sepultura Polynicis sacrilegium non regi, ut postea Sophocles, sed Cad-

[1] Æschy, *Sept. adv. Th.*, v. 592 et 199. = [2] Plut. in *Aristide*, c. 3. = [3] Schol. Aristoph. ad Ran., v. 1225, tragœdiam illam aliquot post *Persas* annis in scenam inductam fuisse testatur, quamvis Plutarchus ante quam Salaminiacam victoriam enarret Aristidem a populo ita salutatum referat. — [4] Æschy, *Sept. adv. Theb.*, v. 605 et sqq.

mæorum senatui imputavit. Non tyranno igitur Antigone repugnat, sed insanienti populo; ille enim senatus, si Æschylo fides habetur, totius populi sensus interpretatur et expromit, et quum Antigone impio decreto sese parituram negat, populi iram[1] illi minatur præco: « Nam populus, inquit, quum primum e periculo evasit, intrectabiles gerit animos[2]. » Nec Antigone tamen egregio consilio desistit, et dimidia chori pars, quæ cum ea Polynicis mortem luget, his verbis populi inconstantiam et errores vituperat: « Sæpe civitas decreta sua mutat, et alia nunc, nunc alia æqua censet[3]. » At quomodo populo consultandum sit, si pravorum voluerit decretorum pœnitentiam vitare, in *Supplicibus*, quæ quo anno docta sit fabula incertum est, plane declaravit Æschylus. Hic nempe Pelasgus, Argivorum rex, a Danaï puellis hospitium rogatus, nil sine populo decernere audet, et de re tam gravi concionem advocat. Quum barbaræ mulieres ei persuadere volunt penes ipsum omne arbitrium esse, nec ullam civibus reddendam rationem, Asiaticas illas opiniones repudiat[4], sed populo in primis suadet, ne Deorum iram ultro lacessat, ne supplicum altariumque jura aspernetur.[5] « Quisquis enim impietatem in se admisit ab ultore sceleris Deo ne in morte quidem dimitti solet[6], sed ab altero Jove in inferis judicari. » Mox voti compos Danaïdum turba faustis precibus salutaribusque consiliis observantissimam hospitii gentem remuneratur: « Ne dignitatibus contumeliam populus inferat, qui rerum summa in urbe potitur: et ipsi magistratus communi bono provida mente consulant. Cum externis lites facile com-

[1] Æsch., *Suppl.*, v. 1042 et sqq. = [2] Id. ibid., v. 1045. = [3] Id. ibid., v. 1071. = [4] Id. ibid., v. 266-373. = [5] Id ibid., v. 613-617. = [6] Id. ibid., v. 228-232.

ponant Argivi, et priusquam Martis arma induant ac cladibus admoneantur, res repetitas restituere velint ! Diis vero hujus terræ custodibus patrios honores perpetuo solvant, laureos ramos ad aras ferentes mactantesque boum corpora. Nam inter supremæ justitiæ leges hæc tertia lex numeratur : Parentes veremini [1]. »

Ad antiquam igitur sacrosanctamque normam consulta sua liber populus referat; paternamque religionem fidelissimo pectore complectatur : pacem vero ne præliis facilius mutet [2], neve rectoribus obtrectandi studio [3] sapienter ab iis decreta festinet rescindere.

Sed cives de rebus publicis admonendi majorem Æschylo præbuit opportunitatem petitus a plebicolis Areopagus. Non ferre poterant popularium partium duces populiscita a summo illo consessu in disceptationem vocari. Duplex enim causa Areopagum optimatibus addicebat; quum scilicet functi munere magistratus, et ii quidem ante Aristidis legem, ex ditiorum ordine electi, venerandum tribunal supplerent; et traditum a prioribus Areopagitis morem retinere [4] magno, ut solet, honori ducerent. Ubi igitur per legatum suum Ephialtem cautior adhuc Pericles sanctum consilium aggressus est, non defuit Eupatridis inclytus ille poeta, qui antiquis legibus reges ac populos parere jubebat.

Areopagum igitur omni religionis apparatu augustissimarumque fabularum commemoratione Æschylus consecravit : summum enim tribunal ab ipsa Minerva, civitatis custode, constitutum depinxit, et ad illam causam Orestis disceptan-

---

[1] Æsch., *Suppl.*, v. 695-796. = [2] Id., ibid., v. cit. = [3] Id., ibid., v. 483. = [4] Isocr., *Areopag.*, 15.

dam, de qua cuncti Dii hominesque dissentiebant. Nec concilii tantum originem exponere voluit : sed quod ei munus a Diis in æternum committeretur edicere : « Ægæo populo, « inquit Pallas, is perpetuus judicum consessus erit, hunc « cives verebuntur, hunc comitabitur timor, quo compesci- « tur injuria. Die pariter ac nocte vim eamdem obtinebit, « dum ipsi cives legibus nil novi inserant ; nitidissimos enim « latices si luto pollueris, nil quod bibere possis invenies. « Civibus vero neque expertem imperii rempublicam, neque « impotentis domini jugum probari jubeo ; nec omnem « timorem ab urbe expelli. Quis enim mortalium, si nihil « metuerit, justitiam servare volet ? Augustam igitur hujus « concilii dignitatem vereamini, quod patriæ propugnacu- « lum erit et fidissima populi salus : nil tale Scythis Pelo- « pisve regioni contigit. Lucro aversatum, venerabilem, « perspicacem diligentemque senatum institui, qui vel dor- « mientibus semper, ut præsidium, invigilet. Ea vero vos « hortor, quæ in æternum observetis[1]. » His versibus tota Æschyli de rebus publicis ratio continetur. Libertatis enim verum amorem præ se fert, nec ab illo mutatus est qui, merito superbiens, in ea quæ *Persæ* inscripta est tragædia Athenas nemini subjectas esse prædicabat[2]. Sed a licentia abhorret, nec quidquam pejus existimat quam si timor omnis a civibus rejectus sit. Nec ideo fortitudinem civium virilesque sensus infringit : Deos enim, et fata, et supernas leges magis quam ipsos homines ab iis timeri vult, ut Areopagus non δέος modo, vel metum, sed σέβας, id est religionem genti universæ incutiat. Nec illi concilio cædium incen-

[1] Æsch., *Eumenid.*, v. 683-708. = [2] Id., *Pers.*, v. 242.

diorumque ac veneficiorum judicia tantum attribuit vates, quamvis in dubia cædis causa constitutum sit, omnes vero civitatis partes ab eo inspici jubet, nec majores meritis honores ei concedit, quum patriæ illud propugnaculum vocat; magnam enim in Medico bello civibus virtutem et patriæ defendendæ studium addiderat Areopagus [1].

Rerum novarum studia quam poeticis severisque verbis increpat vates! In legibus quidquam mutari vetat, nisi purum fontem late pollui velint cives. Ita scilicet perpetua felicitate Athenæ florebunt, cui cumulum imponent novissima Æschyleæ Minervæ præcepta. Illa enim concordiam civibus suadet ac precatur eosque monet ut longinqua bella vitent, et prope sub portis Athenarum hostem lacessant.

Θυραῖος ἔστω πολέμος οὐ μόλις παρών.

Talibus autem verbis quid significaverit Æschylus, Cimonis tempore vivens, attento animo perpendamus. Tunc scilicet duplici metu in externa bella sollicitabantur Athenienses: Ephialtes Periclesque æternas cum Lacedæmone et Megara et Doricis gentibus inimicitias alendas esse censebant: Cimon autem Barbaris perpetuum bellum inferre studebat, sive in Ægæi maris insulas, sive in Ionicum littus, sive in Thraciam, sive etiam in Ægyptum. Num igitur longinqua bella ita repudiat Æschylus ut Athenienses in Græcos vicinasque gentes arma convertere malit! Num, pro Persis, Spartanos aut Megarenses a civibus suis urgeri cupiat? Quod ab optimatum institutis adeo discrepat et Salaminiacæ victoriæ præconem

---

[1] Arist., *De Republ.*, L. V, c. 2. — Plut., in *Themist.*, § 10.

tantum dedecet, ut talia Æschylo imputare nefas ducam. Æternam quidem ab Argivo Oreste societatem, contra Spartanos præsertim ac Peloponnesios utilem, Atheniensibus promitti fingit[1], qua in re vestigium illius indignationis agnosco quæ in ingratos Lacedæmonios amantes patriæ optimates et ipsum Cimonem incenderat[2]; sed post breve tempus eorum ira deferbuit, nec unquam suaserunt ut omissis Barbaris in Spartanos tantummodo sæviretur. Funesta ergo Græciæ dissidia non acuit Æschylus, sed futuræ temeritatis providus, cum Persis non ultra Macedoniam Thraciamve aut primam Asiæ oram bellandum esse censebat, et illas expeditiones in quas ardentiorem populum et vicinis jam gravem immittere Cimon cogebatur, intra arctiores terminos continendas. Exercitibus scilicet timebat, quos in Ægypto egregia facinora decoraverunt, nec sua tamen virtus ab obsidione liberare potuit[3]. Si Æschylo credidisset Attica civitas, imposito regi fœdere contenta et vindicatis in libertatem coloniis, nihil adversus Siciliam vel Carthaginem, ut Pericles Alcibiadesque postea suaserunt, meditata esset.

Nec in præsens tantum, neque de certis rebus quas in concionibus et circulis tum agitabant Athenienses, consilia dedit Æschylus, sed ea quæ ad publicos mores et communem animorum motum pertinebant eadem tragœdia attigit, et, ut solebat, summa gravitate ac religione illustravit. Quid novi de Deorum cultu, de vivendi ratione, de humana natura humanoque jure Græca ingenia tum excogitarent, fusius explicandi locum posthac inveniemus, quum acriora

---

[1] Æsch., *Eumen.*, v. 762-774. = [2] Plut., in *Cimon*, 17. = [3] *Thucyd.* L. I, c. 109-110.

de his rebus fient, stimulantibus sophistis comicisque scriptoribus, certamina. Sit satis hactenus dicere antiquarum sententiarum, sive a sacerdotibus, sive a majoribus traditæ essent, auctoritatem, jam florente Cimonis potentia, labefactatam fuisse. Non id tantummodo justum injustumve jam multi credebant Athenienses, quod justum aut injustum religio et patrum disciplina declararent, sed quod manifesta ratione vel speciosis argumentis probatum fuisset aut refutatum. Jam a doctis illis hominibus qui Athenas undique confluebant excitati juvenes quæstionum illarum amantissimi fiebant, quas quotidie summa varietate versando oblectabantur. Plurimi igitur, Æschyleo Apollini similes, paternæ ac maternæ pietatis officia distinguere, interpretari et ad mentis animique sui arbitrium exigere gaudebant. Mox aliæ quæstiones oriebantur, quibus mores neque corrumpi neque emendari posse diceres, sed ad rerum naturam perscrutandam impellerentur hominum ingenia. Hoc autem curriculum quanta sui fiducia ingrediebatur Attica juventus, quanta in eo temeritate exsultabat? Apollinem nempe videamus antiqua numina et priscas opiniones quasi immisso equo calcantem (καθιππαζόμενον) [1]. Multaquidem profert quæ veteribus institutis majorem clementiam ac sublimiores sensus inducant, multa rursus quæ animos in periculosam viam transversos agant. Conjugii enim et legitimi amoris jura consanguineorum societati præclare assimilat Apollo [2]; sed quum, dubiis argumentis fretus, filium a matre prope alienum esse fingit, maternos que dolores, novem mensium fastidia, partûs ærumnas, præbendæ mammæ laborem

---

[1] Æschy., *Eumen.*, v. 779. = [2] Id., ibid., v. 215 et sqq.

prorsus negligit, quam latam aperit matrum ac feminarum contemptoribus januam ! Apollini quoque assentimus probabilibus causis excusari, et precibus ac sacris expiari scelus jubenti [1] ; sed quantum civitati timeremus, quæ pœnas et supplicia ita aversaretur, ut scelerum ultores contumeliis oneraret, et carnificum nomine notatos, procul a se tanquam belluas ac monstra relegaret ! Huc tamen juvenis Deus devenit, et quum filios in scelestas matres pœnas repetituros immittat, publicam pœnam et ultionem tollere videtur [2]. Imo argumenta a nostris philosophis post bis mille amplius annos repetita usurpans, vitam nulla arte, nulla potentia reparabilem interfectori vetat eripi, tanquam ipse interfector irreparabilem vitam alteri non eripuisset. Ita se quisque et suos privatim ulcisci volet, publica vero judicia detrectabit. Stant adversus Apollinem Eumenides, antiquarum legum tenacissimæ vindices, quæ juvenili temeritati asperrimam severitatem opponunt ; nullo piaculo, nulla probabili causa ad clementiam flexæ. Ergo inter utramque opinionem quid consilii eliget Æschylus ? Id scilicet, quod Areopagi defensorem et philosophiæ Pythagoricæ discipulum pariter deceat ; æquatis enim suffragiis, liberatur Orestes, postquam doloribus erroribusque scelus expiavit, antiquum vero morum custodes Deæ summo honore habentur. Tota civitas perpetuum illis templum, perpetuos ritus instituit, et earum arbitrio res humanas ita gubernare confitetur, ut iratæ Eumenides inevitabiles Atticæ regioni pestes inferre possint, placatæ vero constantissimam felicitatem. Anti-

---

[1] Æschy., *Eumen.*, v. 232-234. — v. 576-581. — [2] Id., ibid., v. 179-197. — Ibid., v. 614.

quas ergo leges interdum flecti convenit, plerumque autem observandæ sunt et summa semper veneratione colendæ. Hinc gloria Athenarum, hinc pax, hinc prosperitas omnis pendet.

Æschyli consiliis nec Areopagi jura servata sunt, nec novandarum rerum cupido repressa. Ac nescio an paulo serius hæc fabula inducta fuerit in scenam magna vi opportunitatis amissa. Ignotus quidam grammaticus qui *Orestæ* argumentum composuit, secundo illam octogesimæ olympiadis anno adscripsit, ante Christum quadringentesimo quinquagesimo nono. At si Plutarcho credimus, Areopagum jampridem Ephialtes imminuerat. Quum enim e longinquis expeditionibus adversus Thasios susceptis Cimon rediisset, optimates a plebe deprimi indignatus est, et ut Areopago judicia restituerentur omni ope et opera niti cœpit. Mox ipsi Lacedæmonii, repudiato Atheniensium auxilio, invidiam in Cimonem conflatam sic auxerunt, ut in exsilium mitteretur. Hanc vero damnationem nemo ultra quartum septuagesimæ nonæ olympiadis annum (ante J.-C. 461) fastis Atticis inscribit. Diodorus Ephialtis victoriam ad primam octogesimæ olympiadis annum refert (ante J.-C. 460) ; cui si fidem adjicimus Æschyli tragœdia multo minus præpostera videbitur, sed uno tamen anno post certaminis eventum edita[1]. Itaque Grote amplissima illa Græciæ historia quam Britannico sermone composuit, Æschylum conjicit id tantum in mente habuisse, ut ferventes adhuc partium studiis animi sedarentur et relicta sibi cædis judicia servaret Areopagus[2] ; at ii quos supra

---

[1] Diod. Sic., L. XI, 77 ; Ed. Didot. — [2] Grote, *Historiæ græcæ*, vol. V, c. 46, page 368, in nota.

laudabam versus Areopago non ejusmodi tantum judicia vindicant, sed majorem quamdam auctoritatem, ut *civitatis propugnaculum*, et *invigilans semper dormienti populo præsidium*[1] merito vocari possit. Cæterum narrata a Plutarcho et a Diodoro non ægre inter se conciliari licet. Quum enim varia fuerint prisci Areopagi jura, non uno ictu, uno decreto multiplicem illius potentiam Ephialtes sane delevit, nec mirum esset si inceptum ante Thasiam expeditionem certamen usque ad primos octogesimæ olympiadis annos durasset, nunc populo vetante ab Areopago plebiscita rescindi, nunc privatos mores, nunc publicam juventutis institutionem ab eo inspici. Ita Æschylus imminuto paulatim concilio serus quidem, sed non omnino præposterus defensor accessisset.

Quidquid autem inter tot dubitandi causas verisimillimum videatur, certe constat poetam, inductis in scenam *Eumenidibus*, quamvis palma donatum, Athenis in Siciliam migravisse, ubi tertio post anno supremum diem obierit (ante J.-C. 456). Hanc sane profectionem ignotus Æschyleæ vitæ scriptor non exsilium vocat, sed variis molestiis attributam fuisse docet[2] : quarum plerasque non satis graves patriæ relinquendæ causas eruditi judicaverunt. Quis enim credat victum in tragœdia elegiave componenda Æschylum decem ante annos quam urbe excederet, tam diu iram concoxisse? Ferebant quidem alii in spectando surgentium Eumenidum choro perculsos terrore parvulos efflavisse animam et mulieres abortivos edidisse partus; inde poetam in aliquot civium odium incidisse. Talia profecto posse fieri

---

[1] Æsch., *Eumen.*, v. 701 ; v. 705-706. = [2] *Æschy. vita*, κατεπονδάσθη Ἀθηναίους.

medici fatentur; miror tamen si senex Æschylus, omnium admiratione et recentiore triplicis tragœdiæ gloria defensus, hæc odia, quæ inscius imprudensque concitaverat, tam parum contempsit, ut popularium et patriæ aspectu deinceps sibi carendum esse duceret. Num Suidas potius audiendus est qui, dum ageretur Æschyli fabula, theatri tabulata non sine ulla, ut conjicere liceret, spectantum clade, corruisse perhibet. Idem vero Pratinæ satyrorum scriptori quiddam simile accidisse refert; quem cum Æschylo in septuagesima olympiade (ante C. anno quingentesimo) certasse affirmat, et ex poetica luctatione superiorem illum evasisse [1]. Hinc verisimile videtur communem fuisse Pratinæ et Æschylo casum, et ruinam Æschylei theatri anno ante *Eumenidas* quadragesimo primo referendam.

Quando illum delator arguerit Cereris arcana retexisse nescimus, sed nos Ælianus docet, nisi frater ejus Amynias officia a se ipso et ab Æschylo in rempublicam collata, et quidquid ambo Marathone ac Salamine fortiter gesserant vehementi oratione commemorasset, damnationem poetam non vitaturum fuisse [2]. Quæ autem, inter tot tragœdias, huic accusationi causam præbuit? *Eumenidas* Musgravius designare festinat [3] ubi inferorum Deorum judicia tam vividis coloribus depicta sunt, ut ex Eleusiniorum sacerdotum de animis immortalibus doctrina aliquid hausisse poeta facile videatur Nec mirum fuisset si plebicolæ Areopago infensi in vatem illum qui sanctum tribunal religione tutabatur ipsam religionem convertere tentavissent. Fateamur tamen quod Musgra-

---

[1] Suidas, v. *Æsch.* et *Prat.* = [2] Ælian., *Var. hist.*, L. V, c. 19. = [3] Musgrave, ed. Euripid., t. III, edit. Glasc. — Chronol. Scen.

vius asserit certo testimonio non inniti, imo ab Eustratio refelli qui Æschylum *Sagittariis, Sacerdotibus, Sisypho, Iphigenia, Œdipode,* mysteria attigisse perhibet [1].

Doctissimus vero Bœckhius quum ab aliis tot temere conjecta non probaret, magni vatis profectioni nullas causas quærendas censuit, præter ipsam Hieronis benignitatem qua tot insignes viri, Simonides nempe, et Pindarus, et Bacchylides capti fuerint [2]. Huic autem opinioni temporum ratio repugnat. Quum enim Gelo et filii ejus ultra decem ac novem annos, teste Aristotele [3], non regnaverint, ipse autem Gelo ante Salaminiacam pugnam Syracusas regere cœperit, Hieronem in vicesimo primo post hanc pugnam anno adire non potuit Æschylus. Athenis ergo egressus, Syracusas populari libertate fruentes invenit; et ut patriam altera ætate jam provectus regione mutaret, graviore, ut opinor, causa impulsus fuit; nec invitus credam senem Eupatridarum defensorem dignitatem ordinis sui deminutam ac spreta sua consilia ægerrime tulisse [4].

At enim si Æschylus Hieroni non hospes fuit, ÆTNAM tragœdiam non ideo scripsit ut regem celebraret; quod tamen affirmat [5] ignotus vitæ Æschyleæ scriptor. Ego vero nihil esse arbitror quod nos vetet narrata a Plutarcho cum iis quæ alii perhibent conjungere. Bis nempe suspicor poetam in Siciliam migravisse; Sophoclis primo vel Simonidis victoria contristatum (anno ante J.-C. 469), splendido Hieronis hospitio dolorem

---

[1] Eustratius ad Arist., Eth. ad Nicom., III. — Fragm. Æsch. in Bibl. Didot, p. 234. = [2] Bœkh, *Græc. Trag. Princ.*, p. 51. = [3] Aristo., *De Republ.*, L. VIII, c. 9, in fine. = [4] Duruy, in *Hist. Græc.*, c. 12, p. 255. = [5] *Æschy. vita.*

suum demulsisse; tum in scenam Siculam unam ex antiquis hujus populi fabulis, Palicorum scilicet Deorum historiam, Ætnæ urbis et Hieronis laudibus commixtam, induxisse; mox Athenas reducem novis ibi tragœdiis civium admirationem sibi conciliavisse, donec quibusdam molestiis et præsertim mutato civitatis statu in iram incensus, patriæ quam deinceps sibi infensam judicabat aspectum fugerit [1].

Ille autem Æschylus, quem religionis fundamento totum civitatis ædificium imponere demonstravimus, non is erat qui vulgari falsorum Numinum cultu plane contentus maneret. Nonne in *Prometheo* humanum animum depinxit, pro vetustis et pene informibus Diis, juniores sibi Deos fingentem, mox ab illis novæ notæ Numinibus oppressum, et Jovis sociorumque jugum excutere tentantem? Hunc vero Jovem, cujus injustitiæ et crudelitati tam superbe Promotheus insultabat, in aliis tragœdiis Æschylus ea potentia, ea majestate exornat quæ verum Deum deceant et prope unicum, quæque Homeri Jovem valde contemnendum efficiant. « O Jupiter, inquit, quamvis voluntatem tuam nemo scrutari possit, etiam in tenebris illa lucet, quum mortalibus atras calamitates immittis. Quidquid statuit Jupiter inevitabilis potentia perficit, et consilia ejus per obscuros tramites ad finem gradiuntur. Superba spe dejecti cadunt quos Jupiter perdere vult; nec ulla vis Deorum ultionem moratur [2]. »

Ergo infra summum Numen Deos versari patitur Æschylus, atque ita vel levissimam impietatis suspicionem apud vulgus

[1] Ab hac quidem sententia non abhorret Hermann in opusc., t. V., *De Æschyli Ætnæis.* = [2] Æsch., *Suppl.*, v. 85-98.

effugit, inter sapientiores vero religiosi viri famam consequitur. Id enim in sublimibus illis poetæ sententiis animadvertendum est, eum ad veteres historias, antiqua oracula, antiquosque ritus omnia referre. Sive igitur ex Eleusiniis mysteriis aliquid haurire potuit, sive Pythagoræ philosophia ultra angustos falsæ religionis fines sublatus fuit, hunc inter veterum institutorum custodes ac conservatores reponere quis dubitet? Quis miretur ab Aristophane severas illas partes Euphorionis filio assignari? Etsi nobis aliquando durum videtur inexorabile illud fatum, Æschylo auctore, vereri, fateamur tamen nullum graviorem fuisse juris, et pietatis et bellicæ fortitudinis et concordiæ suasorem. Hic non *optimatum* modo, sed *optimorum* virorum vates vocandus est, qui patriam terram, patrios ritus, patrias leges et cives universos sincero amore dilexerunt, qui plebi non superbius jugum, sed salutaria sapientium consilia imponere tentabant, qui ferocientes jam equorum more Athenienses hortabantur ne injecta olim sibi a Solone frena prorsus rejicerent. Hæc Cimon quoque sentiebat suadebatque, hæc quum nimiis objurgationibus et perpetuæ Spartanorum laudationi miscere assuevisset, populo displicere cœpit.

§ 3. — *De Æschyli filiis et discipulis.*

Filios et nepotes Æschylo fuisse tragico ingenio non omnino destitutos accepimus, quibus paterna memoria ad spectantium gratiam comparandam non parum valuerit[1]. Nihil vero ex illorum operibus traditum est quo pariter optimatum

---

[1] Suidas, *Astyd.* — Id., *Euphor.* — Diod., L. XIV, c. 43. — Schol. Aristoph. ad *Ran.*, v. 151.

propugnatores fuisse demonstrentur. Unus tantum inter Æschyli amicos qui poeticam ejus laudem, quamvis ipse in tragœdia non inglorius nunquam assecutus est, eidem factioni aliquantum favisse videtur.

Ion scilicet, Chio insula natus, magnam ibi vitæ partem egit, interdum vero in Atticam urbem veniebat, quæ cum Chiis sanctissimo fœdere juncta fuit : tunc tragœdias suas in scena peragendas curabat et famam hac arte adeptus est. Quum autem ab Olympiadis septuagesimæ tertiæ initio (anno ante J.-C. 488) ad octogesimæ nonæ Olympiadis tertium annum (422) circiter vixerit, tres maximos tragœdiæ artifices convenire potuit; cum Æschylo ludos Isthmiacos spectavit[1]; Sophoclem qui Atheniensium exercitus ducens Lesbum versus navigat in Chio insula videt, ut ipse in commentariis de vita sua scriptis testabatur (anno circiter ante J.-C. 444)[2] cum Euripide denique tragico certamine luctatus est (anno circ. ante J.-C. 429). Olim vero victor declaratus populo Atheniensi Chium vinum distribuendo gratias egit[3]. Ex ejus tragœdiis paucissima supersunt, sed si fragmento cuidam attendemus, Lacedæmoniorum admirator fuisse judicabitur. Illos enim sermonibus breves, bellica virtute acres, consiliis prudentes his versibus prædicavit[4],

Οὐ γὰρ λόγοις Λάκαινα πυργοῦται πόλις,
Ἀλλ' εὖτ' Ἄρης νεοχμὸς ἐμπέσῃ στρατῷ,
Βουλὴ μὲν ἄρχει, χεὶρ δ' ἐπεξεργάζεται.

---

[1] Plut., *De Prof. in Virtut.*, c. 8. Vide etiam Ion. frag. in Bibl. Didot. = [2] Athen., L. XIII, p. 603. = [3] Schol. Aristoph. ad *Pac.*, v. 835. = [4] Sext., *Empir. adv. Math.* II. 24, Ionis fr. 58, in Bibl. Didot, inter fr. trag. a Wagn. edita.

Quum juvenis admodum apud Leomedontem cum Cimone cœnavisset, vultum et speciem ejus, et urbanitatem ac musicæ scientiam magnis cum laudibus in commentariis descripsit[1], nec dubitavit Periclis majestati humanos Cimonis mores multo anteferre[2]. Nec sine aliqua diffidentia Ionem de hac re audiendum esse monet Plutarchus; eum enim nescio quo egregiis viris obtrectandi morbo laborasse; at cur ille clarissimarum virtutum censor Cimoni magis quam Pericli pepercerit ipse Plutarchus lectorem non docet.

---

[1] Plut., in *Cimone*, c. 5. = [2] Id., in *Pericl.*, c. 5.

CAPUT SECUNDUM.

DE SOPHOCLE.

Sed jam viventi florentique Æschylo egregius succreverat æmulus qui tragœdiam omnibus numeris absolveret; ille nempe Sophocles, quem ab ipso Cimone sibi præferri senior poeta non sine magno dolore viderat. Hunc vero Græcæ tragœdiæ regem ita moribus facilem ac mansuetum fuisse ferunt, ut nemini unquam displicuerit[1]. Sophoclem Athenienses non ob spectatam militiæ virtutem, sed honoris causa ducem creaverunt, et in Samio bello Pericli collegam adjecere. Nec ullum cum egregio illo plebis assentatore cei tamen iniisse dicitur, nec quidquam fecisse dixisseve quod multitudini adversari ipsum indicaret. Eum igitur placidis illis civibus qui splendore Athenarum et clementi Periclis imperio læti fruebantur adnumerarem, nec ullam quidem in hoc libello de eo mentionem faciendam arbitrarer, nisi fragmenta ejus exstarent quibus viros nobili sanguine ortos ab ignobilium contemptu et insolentia vindicare videtur. « Quum optimos, inquit, viros obscuro loco nati vincunt, quæ urbs talia pati queat[2] ? » Nec his verbis quæ in altera tragœdia lege-

[1] *Vita Sophocl.* — Aristoph., *Ran.*, v. 788-790, v. 82 = [2] Soph., in *Aloïdis*, cit. a Stobæo, 46. 3.

bantur, nobilitatem minus commendabat : « Si generosus es, ut ipse dicis, quo sis ortus et unde venias significa : nam quidquid splendide natum est nullus sermo polluere valet. »

Ἀλλ' εἴπερ εἶ γενναῖος, ὡς αὐτὸς λέγεις.
Σήμαιν' ὅτου τ' εἶ χὠπόθεν· τὸ γὰρ καλῶς
Πεφυκὸς οὐδεὶς ἂν μιαίνοι λόγος [1].

Illorum quoque calamitatem deplorabat qui quum boni sint et *bonis oriundi*, ab impiis *malorum filiis* summo gradu deturbantur [2].

Quæ quidem carmina non ignoro, ut pleraque tragica comicave haud temere arripienda ac judicanda esse. Multa sunt enim quæ non suo nomine poeta dicat, sed fabulæ personis assignet, fortunarum, ingeniorum, morum varietate multum inter se diversis. Nec rursus raro evenit ut fabula historiave ad arbitrium suum poeta usus, personas, etiam tragicæ vel comicæ musæ legibus contemptis, propriarum sententiarum interpretes faciat. Ex his autem operibus quorum fragmenta tantummodo supersunt multo difficilius intimam scriptoris opinionem intelligere licet. Ne quis tamen nobis exprobrare possit quod vel minima Sophocleæ mentis indicia neglexerimus, eodem verbo notabimus purissimum sideris splendorem ab eo designari quo nobilitas ipsa exprimi soleat : « Luna, inquit, postquam nobilissima (εὐγενεστάτη) in cœlo apparuit, rursus decrescit et ad nihi-

[1] Soph., in *Alete*, cit. a Stob., 88-11. = [2] Id., ibid., ibid., 106, 11.

lum redigitur[1]. Quamvis tamen nobilitas magnam vim habere Sophocli videretur, et ipse, si Plinio credimus, principe loco natus esset[2], in optimatibus defendendis nusquam valde laboravit. Sed cur ejus *Antigonen* prætoria dignitate remunerati sint Athenienses eruditi quæsivere[3], nec immerito animadverterunt in hac fabula magistratus ac civis officia egregiis versibus describi. « Quisquis civitati præest patriam ante omnia ponere debet, nec cujusquam metu deterritus, cunctis utilia tacere; salva enim patria, singuli quoque salvi fiunt. Ducibus autem populus pareat, nam effrenata licentia nulla funestior pestis[4]. » Hæc tragicus apud Sophoclem Creo prædicat, hæc Sophocles ipse sentit. Quum tamen addit : « Civitatis præsidi parendum sive magna, sive parva, sive injusta jubeat[5] », jam non Sophoclem, sed Creontem solum audio; omnis nempe fabula tyrannorum injuriis et impotentiæ reclamat. Hic igitur, ut in *Eumenidibus*, libertatis effusæ et importunæ dominationis incommoda designat et abominatur poeta; hic etiam divinarum legum, humanis legibus superiorum, æterna celebratur auctoritas[6].

Sed tanta solertia Sophocles rem temperavit, ut sapientibus utriusque factionis viris placeret, neutram vero aggredi videretur. Auctor est Suvernius, id ipsum sibi poetam proposuisse, ut reconciliatæ inter se partes Pericli totas se subjicerent[7]. In versibus quidem quos doctus vir indicat (662-672) unum est verbum, quod a proprio sensu leviter detortum, Pericli conveniat : ille enim, ut refert

---

[1] Soph., cit. a Plut., in *Demetr.*, c. 45. = [2] Plin., L. XXXVII, c. 11.= [3] Aristoph. gramm., *Argum. Antig.* = [4] Soph., in *Antig.*, v. 179-190. = [5] Soph., ibid., v. 668-669. = [6] Id., ibid., 448-457. = [7] Vide *Antigones* ab Artaud in gall. ling. conv. procemium.

Plutarchus[1], rem familiarem prudentissime administrabat ; at Creo quum non de fortunis sed de propinquorum moribus regendis loquatur, hunc optimum civitatis præsidem esse dicit, qui sapientissimis legibus domum suam continuerit[2]. Ego vero poetam existimo concordiæ amantissimum[3], sive Cimon, sive Pericles rempublicam in pace gubernaret, utriusque imperio acquievisse : nobili enim loco ambo pariter orti erant, nec infimis subserviebant plebeculæ cupiditatibus.

Quum tamen antiquas leges patriosque deorum ritus Alcibiades cum sociis aggredi cœpit, impia tentantibus Sophocles minatus est, pietatemque sanctissimis verbis populo commendavit. Hic scilicet Musgravio plane assentior, qui in *Œdipode Tyranno* non nominatim quidem lacessitum fuisse Alcibiadem, sed tam manifestis indiciis notatum contendit, ut a nemine non agnosci posset. Quis tertium hujus tragœdiæ chorum legens, mutilatas Mercurii imagines, contemptos ab Alcibiade Deos, æternas leges et ipsam populi majestatem quotidiana et tyrannica arrogantia offensas non meminerit ? Præsenti rerum statui poetam alludere duplex nobis signum indicat : primo enim Alcibiadi et sociis ejus versus illi tam apte conveniunt, ut nomina tantum deesse videantur ; deinde Sophocles quamvis extra propositum suum non longius evagetur, multas tamen ibi sententias promit, multas nobis ante oculos species excitat, quas non ipsa fabula ejus animo sponte suggerere potuit : « Insolentia, inquit, tyrannus gi-

---

[1] Plut., in *Pericle*, c. 16. = [2] Soph., *Antig*, v. 662-672. = [3] Vide illos ***Ajacis*** versus quibus optimates populo, populum optimatibus prodesse affirmat, et ambos civitatis ordines ut Menenius Agrippa inter se tentat conciliare (*Ajax*, v. 158-163).

gnitur (ὕβρις φυτεύει τύραννον)... Ego autem Deum ducem sequi nunquam desistam. Si quis incedit manibus et voce superbus, justitiæ contemptor, Deorum *templa* vel *imagines* (Θεῶν ἕδη) non veneratus, mala sorte cadat implicitus, et miseram arrogantiam luat. Si hæc impunita manserint, quis animi cupidines continebit? (Τίς ἔτι ποτ' ἐν τοῖσδ' ἀνὴρ θυμῷ βέλη ἔρξεται ψυχᾶς ἀμύνειν:) Si facinorum istiusmodi auctores in honore fuerint, quid jam mihi opus est sacros choros ducere[1]? »

Admiremur autem quanta magnificentia religionem Sophocles induat quam defendere conatur. Jam longe fugit Homericus Jupiter; sed Pythagoreum Eleusiniumve Numen ab Æschylo jam prædicatum, imo Platonicus Deus æternaque illa rerum ac legum exemplaria panduntur.

« Fato id mihi contingat ut incorruptam verborum factorumque pietatem servare possim, quorum altissimæ leges nobis proponuntur, in sublimi cœlo generatæ; illis unicus parens est Olympus, non mortalis hominum natura, nec oblivione unquam sepultæ extinguentur; magnus enim in his vivit Deus et senectute immunis[2]. »

Sophocli, ut Æschylo, tragica soboles fuit tragicique exstiterunt discipuli[3]; quam vero viam in rebus publicis secuti fuerint aut civibus suis sequendam suaserint, ex paucissimis fragmentis colligere non licet. Unus ex his, Aristo, ipsius Sophoclis instar neutri factioni indulsisse, sed eas sententias satis graviter defendisse videtur, quibus servantur hominum societas ac mores[4]; humanam enim vitam a Diis inspici

---

[1] Soph., *Œd. Rex*, v. 862 et sqq. = [2] Soph., *Antig.*, v. 851-861. = [3] *Soph. vita*. sub finem, de Aristone et Iophonte, Soph. filiis. — Aristoph. *Ran.*, v. 79-80, de Iophontis tragœdiis. = [4] Ariston. fr. in Bibl. Didot.

contendit, piisque et impiis digna præmia divinitus distribui.

Sophocles autem paucos jam annos poeticum curriculum ingressus erat, quum novi moris, novarum doctrinarum fautorem Euripidem pari prope secum gloria fulgentem vidit: qui tragœdiæ speciem et, quod nos unice in hoc libello perpendimus, sententias ad rempublicam religionemque spectantes ita mutavit, tantumque in civium animis motum aut effecit aut aluit, ut priusquam eum ejusque socios ac discipulos intueamur, nobis ex altera parte circumspiciendum sit num a comicis etiam efficacia præbeantur optimatibus et plebis censoribus auxilia.

CAPUT TERTIUM.

DE COMICIS POETIS QUI ANTE ARISTOPHANEM VEL CUM ILLO VIXERUNT.

Quemadmodum popularem civitatis statum nihil magis decet quam antiqua illa Atheniensium comœdia, ita nulli operi popularis respublica magis necessaria est. Quum enim pauci dominantur, hæc effusa de omnibus rebus hominibusque loquendi licentia arctioribus semper terminis coerceri solet. Non grammaticis equidem certa incertaque temere narrantibus ita crediderim, ut inde comœdiam nomen accepisse putem, quod incipiente somni vel κώματος tempore rustici in urbem venire assueverint, ditiorum potentiorumque insolentiam denuntiaturi; at quemadmodum ex gravibus Bacchi ritibus tragœdia, ita ex hilaribus protervisque comœdia exorta est, et hæc nominis origo, a plurimis grammaticis crebro relata, inter temerarias illas Platonis Varronisque de verborum ortu conjecturas reponenda. Id tamen pro certo maneat comœdiam, primo adversus ditiores potentioresque conversam, ob idipsum plebi gratam et acceptam fuisse[1]. Sed antiquioris comœdiæ a Susarione Megarensi conditæ,

[1] Platonii et aliorum de comœdiis comment. in Bibl. Didot. Aristoph. Scholiast. præfixi.

nulla fere vestigia exstant; hos tantum comicos vere novimus, qui Pericli, Alcibiadi et Thrasybulo æquales vixere; horum enim multa fragmenta passim citata deprehenduntur, et clarissimus omnium Aristophanes cum integris undecim fabulis coram posteris judicandus prodit. Hæc autem comœdia quæ populari rerum statu imprimis florente viguit, non, ut verisimile erat, popularibus studiis adulata est, optimatumque partes ludibrio habuit; at diversam viam ingressa, multitudinis impugnavit duces, plebis erroribus illusit, plebem ipsam plebi deridendam propinavit.

Etiam ante Aristophanem clarissimis plebicolis hoc bellum indictum fuerat. Themistoclem quidem, Salaminiacis lauris decoratum, num iisdem contumeliis comici lacessiverint quibus Timocreo carminum lyricorum scriptor[1], nescimus; constat tamen procaces Thaliæ alumnos, obscuro genere præsertim exprobrato, tantæ laudi non pepercisse[2]. Mox in Periclem surrexit Cratinus, qui ingens viri caput vulgaribus jocis primum petivit, mox, graviora pondera librans, tyranno eum assimilavit, vel monstro potius ex Saturno ac Seditione genito[3]: gratum videlicet optimatibus convicium, et quod ipsius plebeculæ risum movere posset, quam injustum autem, facile videamus, si totam Periclis evolvamus vitam. Ille ergo, qui eloquentia et morum dignitate fretus, lenissimo imperio populum moderatus est, tyrannis æquiparatur qui mediis e seditionibus ad summam potestatem emerserunt! Idem Cratinus, Cimonis benignitatem laudans, virtutes illius (nam in voce ἀρίστῳ omnis virtus continetur), supra cunctos qui fue-

---

[1] Plut. in *Themist.*, c. 21. (Ed. Tauchn.) = [2] Id., ibid., c. 1. — Schol. anon., *Vita Soph.* = [3] Plut. in *Pericle*, c. 3.

rint unquam Græcos eminuisse cecinit... καὶ πάντ' ἀρίστῳ τῶν Πανελλήνων προτοῦ[1]. Mox in immane Periclis caput plebeios Cratini sales Teleclides renovat[2]; Hermippus autem majora tentat, funestissimis criminibus clarissimi viri famam adspergit, impietatis Aspasiam insimulat, a Pericle autem ingenuas mulieres raptas ac prostitutas arguit, nec in theatro tantum, sed apud judices accusatoris partes agit[3]. Flagrante jam Peloponnesiaco bello et urbem hostili exercitu, hostili flamma cingente, impudicum Periclem, regem Satyrorum increpat, quasi prælium et nudos enses ignava mente paveat, et a violento plebicola, popularique ac clamosa Cleonis factione frustra instigatum deridet[4]. Quum exstincto Pericle major plebicolarum fit numerus et audacia, major quoque iis insultat comicorum exercitus. Alcibiadis libidines Pherecrates insectatur[5]; Pisandrum illum qui, antequam optimatibus per fas ac nefas faveret, populi hostes omni ope et opera detegendos opprimendosque canebat, quem vero sua ignavia et indomita auri cupido dedecorabant, ob desertam militiam, Phrynichus quidam comicus acerrime cavillatur[6] et populi simium vocat. Eosdem Eupolis, Aristophani æqualis et æmulus, crebris telis confodit. Alcibiadem in *Baptis* comessantem et nefariis libidinibus indulgentem ita vivide expresserat, ut iram ille continere non potuerit et a suis militibus ac nautis poetam in mare demergi ac prope suffocari jusserit[7]. Demostrati cognomine Buzygis, qui Siculam expedi-

---

[1] Cratinus a Plut. cit. in *Cim.*, c. 10. = [2] Teleclides a Plut. cit. in *Pericle*, 3. = [3] Plut. in *Pericle*, 32. = [4] Herm. a Plut. cit. in *Pericl.*, 33. = [5] Pher. fr. in *Fragm. comic.* a Bothe editis, in Bibl. Didot, p. 114 fr. 5. = [6] Phrynich. ἐν Μούσαις fr. 2., ab Aristoph. Schol. citat. ad *Av.*, vers. 11.= [7] Platonii *Prol.* I. — *Prol.* IX (Bibl. Didot.)

tionem summa vocis et laterum contentione suaserat, clamores horrendos idem Eupolis depingit[1]; a Cleone vexatam rempublicam ulcisci velle videtur, et auream ætatem Athenas redire exoptans, id optimum in novo statu esse fingit, quod, vel dominante Cleone, omnia dicere liceat[2].

Nec popularium partium duces nominatim perstringere contenti vitia quoque ex populi imperio nascentia cavillantur. Teleclides intentatas a turbulentis civibus lites amplius sese ferre negat[3], qua quidem peste Atticam civitatem corruptam tabefactamque fuisse Aristophanes nos docebit. Juvenes istos notat Phrynichus, qui in foro cunctis adulantur, mox vero e suggestu omnes lacessunt et accusant[4]; Eupolis autem, quamvis Periclis eloquentiam fateri cogatur et eum inter magnos præteriti temporis viros numerare, populares partes, quas ille olim duxit, multa mala nunc reipublicæ inferre queritur. « Juvenes, inquit, lascivia perditi, summos ad honores evehuntur, et rempublicam istiusmodi homines administrant quibus ne minimas quidem res sapiens vir committere velit[5]. Quanto melius, exclamat, majores nostri faciebant! Tum enim nobiles viri et divites quos Deorum instar venerabamur rebus nostris præerant, nunc ab impuris omnia aguntur[6]. » Præclari illi versus a Stobæo citati, poeticam vim et sincerum animi motum spirant, optimatibusque Eupolidem favisse manifestum faciunt. Quid si Platonis comici fragmenta singula sub legentis oculos vocaremus! Cleonem, quem

---

[1] Eupolis ab Aristoph. Schol. citatus ad *Lys.*, v. 297. = [2] Id., fr. 1 et 2, Bibl. Didot. = [3] Telecides in *Amph.* fr. 5, Bibl. Didot. = [4] Phryn. Ephial. fr. 1, Bibl. Didot. = [5] Eupolis, fr. 13, Bibl. Didot. = [6] Id., ibid., a Stobæo cit., 43–49.

Cerberum vocat, pacis et optimatum atrocissimum hostem; Hyperbolum; Cleophontem; Diitrephem, ærarii expilatorem; Pamphileæum plebicolam, et Pisandrum, corruptelæ et ignaviæ convictum (nam postquam, auro accepto, bellum renovari passus est, ad militiam proficisci recusavit); Epicratem, unum ex Thrasybuli sociis, qui paulo post restitutam populo potentiam, ad regem Persarum legatus est, et barbarica pecunia simul cum Phormiso collega corruptus; amatores Monychi Glaucetem, Leogoram, Midiam; omnes denique quos Aristophanes creberrimis jocis exercet recognosceremus [1]. Ut Eupolis in *Marica* Hyperboli matrem turpi saltatione tripudiantem ostenderat [2], ita Plato Thressam Cleophontis matrem barbarica lingua nugas effutientem depinxit [3]. Populi vero stultitiam inconstantiamque quam vividis salibus adspergit! Hunc enim fingit, nescio qua libidine impulsum, jam in eo esse ut impudicum et mollem Agyrrhium ducem exercitus creet, rei tamen indignitatis conscium, « Tene mihi, clamare, tene prurientem manum ne sublata dextra Agyrrhio suffrager [4]! » Nec mirum si istiusmodi portenta populo grata fiunt : « Hac enim in civitate, inquit Plato, malos sese impudenter profiteri solent homines [5]. » Cæterum eadem diu probare levissimus ille nequit populus : « Si tres tantum menses ex urbe abfueris, reipublicæ speciem reversus non agnosces [6]. »

Aristophani aliquando æmulus certavit Archippus, quem comica musa in eosdem homines ac mores flagello suo

---

[1] Vide in Bibl. Didot varia comici Platonis fragm. = [2] Schol. Aristoph., ad *Nub.*, v. 540 et v. 551-552-553. = [3] Id., ibid., ad *Vesp.*, v. 1025 et sqq. = [4] Vide Plat. com. fr. 4, pag. 255, in Bibl. Didot. (*Fragm. com.*) = [5] Vide ejusdem fragm. 11, pag. 260 = [6] Id., ibid., fr. 12.

armavit. Hic enim Alcibiadis etiam in loquendo mollitiem deridet[1]; et Atheniensium inconstantiam increpat, magistratus in dies mutantium[2].

In illo autem certamine, quod fusius mox enarrabimus, quodque ex animorum motu ad sophistas atque rhetores conversorum exortum est, haud dispar fuit comicorum consensus. Omnes enim in Socratem, Euripidem, Metonem, in Deorum ac rerum naturæ scrutatores invehi; vetustum omnes morem, adversus novos juventutis doctores, defendere.

Non ita tamen rectam ac simplicem viam comici secuti sunt ut mordaces jocos et infamiæ notas solis injicerent plebicolis, optimatibus vero perpetua indulgentia parcerent. Ne illos quidem optimates qui pristinum rerum statum tueri studebant, et novas argutias, nova commenta aspernabantur, intactos reliquere, sed levibus eos vulneribus attigerunt. Cimoni mortuo ea objicit Eupolis, quæ comœdiarum spectatores facillime ignoscere solent: longiora scilicet convivia, jucundasque illas quas Spartæ agebat noctes[3]. Niciam timide respublicas capessentem non defuere qui irriderent, et his ipsis jocis ad cunctationem deponendam hortarentur. Sed quidquid illi viro comici exprobrant, consulto attenuare et quasi intra certos terminos continere student. Hunc Teleclides depingit delatoribus præ metu inservientem, divitias que largientem ut taceant; mox vero: « Amicus mihi homo est, inquit pocta, et sapiens esse videtur[4]. » In Eupolidis *Marica*, unus ex istis divitum calumniatoribus Niciam circuit,

---

[1] Arch. a Plut. cit. in *Alcib.*, c. 1. = [2] Idem in *Fragm. comic.* a Bothe collect. in Bibl. Didot (3, pag. 271). = [3] Eupolis a Plut. citatus in *Cimone*, c. 15. = [4] Teleclides a Plut. cit. in *Nicia*, c. 1.

si forte empti suffragii aut patriæ proditæ convincere illum liceat, et fallacissimum peccati indicium arripiens : « Audistis, clamat, o socii! In ipso scelere deprehendi Niciam.— At vos, respondet alter, o mente capti, optimumne virum aliquid molientem deprehendatis [1]? » Nec duo Phrynichi versus a Plutarcho citati quidquam aliud præter solitam illam et ab omnibus decantatam timiditatem exprobrant [2]. De Thucydide autem, qui ante Niciam optimates et Lacedæmoniorum amicos duxerat, nullos comicos versus, præter paucos Aristophanis [3], nec mehercule acerbos, accepimus. Diopithem, Niciæ socium, plures insaniæ notant et avaritiæ [4]; sed in omni factione istiusmodi versantur homines quos nemo vereatur, nemo magni faciat, quibus tamen, ut parasitis famulisve, partium duces utantur. Quamvis ergo terribiles illi libidinis, avaritiæ stultitiæque castigatores huc illuc temere tela conjecisse videantur, rem tamen attente intuentibus optimatum partes ab iis non acriter lacessitas fuisse constabit, imo sapientissima quæque optimatum de pace ac rebus gerendis consilia perpetuo adjuta esse. Unus comicorum, Polyzelus, ut ex fragmentis conjicere licet, popularem reipublicæ statum a Thrasybulo restitutum celebravit [5]; qua autem id mente fecerit, qualem populo victoriæ usum suaserit nescimus. Si importunos tyrannos, quorum plerique rhetorum ac sophistarum scholis evaserant, imperio dejectos gavisus est, populum vero ad antiquos mores, ad liberam simul modestamque ra-

---

[1] Eupolis a Plut. cit. in *Nic.*, c. 4. = [2] Phrynic. a Plut. cit. in *Nic.*, c. 4. = [3] Aristoph., *Acharn.*, 702-712, — vel potius, *Vesp.*, 947 et sqq. Hic quidem Aristophanes Thucydidem miserari magis quam deridere videtur, qui, quum in judicio se defendere deberet, subito obmutuerit. = [4] Schol. Aristoph., ad *Equit.*, v. 1085. = [5] Suid. verb. Πολυζήλω... et var. frag. Bibl. Didot.

tionem reducere tentavit, ab Aristophanis cæterorumque comicorum via non decessit; sed id nobis incertum veteres reliquere.

Quorsum spectaverit Attica comœdia, plebicolis non magis quam novarum rerum fautoribus infensa, quo pacto optimatum sententias apud populum defenderit, in eos tamen optimates qui novis moribus rhetorumque ac sophistarum disciplinis vel minime alliciuntur armata, disjunctis hactenus exemplis et quasi adumbratis lineamentis monstravimus; quibus autem artibus ad hujusmodi opiniones tuendas usa fuerit, Aristophane attentius perlecto, quem unum ex antiqua comœdia vere superstitem accepimus, perspicuum magis fiet. Tum demum unde mirabilis exortus sit comicorum consensus intelligere licebit. Quis enim non miretur quod homines poetica æmulatione inter se divisi ad eadem probanda vituperandaque perpetuo coeunt? Jocis et criminationibus Aristophanes et Eupolis sese invicem exercuere; comœdiam nempe vel saltem scenas integras ab illo sibi subreptas queritur Aristophanes[1]; Eupolis contra *Equites*, ut sibi et *calvo poetæ* communem vindicat[2]; mox Aristophanes Eupolim arguit juvenes corrupturum palæstras et gymnasia circumire[3]; idem frigida Amipsiæ et Phrynichi dicteria sese ferre posse negat[4]. At quum sibi invicem comici scriptores insultaverunt, rursus in aciem contra plebicolas et antiqui moris contemptores juncti procedunt. Nec Aristophani Cleonem, Socratem Euripidemve deridenti Eupolis et Amipsiæ auxilium unquam deest.

[1] Aristoph., *Nub.*, v. 553-554. = [2] Schol. Aristoph., ad *Nub.*, v. 540. = [3] Id., ibid., ad *Vesp.*, v. 1025. = [4] Aristoph. *Ran.*, v. 13-18. — *Prol.* XI et XII, Bibl. Didot.

CAPUT QUARTUM.

QUOMODO ARISTOPHANES IN IIS QUÆ AD REMPUBLICAM PRÆCIPUE PERTINENT OPTIMATES ADJUVERIT (*anno ante J.-C., 425*).

§ 1. — *De primis Aristophanis comœdiis.*

Jam mortuo Pericle juvenis admodum comœdias in scenam produxit Aristophanes et sese statim vetusti moris defensorem vetustæque adolescentium institutionis in *Dætalensibus* declaravit[1]. Mox cum Cleone longas illas simultates suscepit, quæ ipsa plebicolæ morte, ut videbimus, vix poterunt exstingui, quibus vero non injustam quidem sed minus honestam causam nonnulli attribuerunt. His enim si credimus, ideo tantum Cleoni bellum indixit Aristophanes, quod ipsi peregrinitatis litem Cleo intentavisset; ita non civitatem ac rempublicam, sed proprias injurias poeta ulcisci studuit. At ejus interpretes et historicos attente legendo ut diversa sentiamus non difficile adducemur. « Inimicus Cleoni factus est, inquit unus ex vitæ scriptoribus, postquam ipsum ille peregrinum esse arguit et in *Babyloniis* fabula, advenis præsentibus, Atticos magistratus lusisse[2]. » Nonne ex verbis apparet

[1] *Aristoph. vita* ab *Anon.* gramm. = [2] Id., ibid., ibid.

(ἐπειδὴ ξενίας κατ' αὐτοῦ γραφήν... καὶ ὅτε ἐν δράματι....) duas accusationes aut una, aut eodem prope tempore latas esse? Non ante igitur Cleoni manifesto et in perpetuum inimicus factus est, quam ipsum orator peregrinæ originis et læsæ, ut ita dicam, magistratuum ac populi majestatis accusavit. At nunc græcum interpretem *Acharnensium* audiamus, a quo docebimur quam partem in hac magistratum irrisione Cleo, Aristophani non antea inimicus, habuerit: « In *Babyloniis*, inquit, magistratus omnes seu sorte, seu suffragiis creatos, præsentibus advenis, irrisit Aristophanes. Ob hoc iratus Cleo injuriæ erga cives eum accusavit, quasi ea in populi contumeliam fecisset. Peregrinitatis eum præterea insimulavit, et in judiciale certamen induxit (καὶ ξενίας δὲ αὐτὸν ἐγράψατο καὶ εἰς ἀγῶνας ἐνέβαλεν)[1]. Compertum igitur ac manifestum habeamus Aristophanem priorem bellum indixisse, nulla privatim ulciscendi cupidine impulsum; fateamur tamen Cleonis accusationibus odium poetæ magis accensum et pectori altius infixum fuisse. Cæterum nec ipsi, nec præcipuo fabularum ejus actori Callistrato furiosi oratoris ira nocuit; adversus enim delatores gratissimum sibi et acceptissimum poetam senatus populusque bis terque defenderunt[2]. Hoc favore fretus, duplex primo opus perficiendum suscepit, Niciæ atque optimatibus valde probatum: scilicet ut ad pacem cum Lacedæmoniis jungendam populum inclinaret, et Cleonem paci infensissimum, contumeliis oneratum, omni gratia, omni auctoritate spoliaret.

[1] Sch. *Acharn.*, v. 376-380. = [2] *Aristoph. vit.* ab *Anon.*

§ 2. — *De Acharnensibus.*

Acharnenses igitur scripsit (Euthydemo arch. anno 426 ante J.-C.) cujus fabulæ initio cuinam populi parti innitatur statim declarat. Equites enim, divitem civitatis classem, plebis temeritati semper adversam, primis versibus laudat quod Cleonem talenta per vim aut malas artes extorta reddere coegerunt. Eum vero pacis suasorem et propriæ sententiæ interpretem inducit, qui, rure natus et rure habitans, belli ærummas imprimis sit expertus, qui vineas suas exscindi, agros vastari, villas cremari et abrupto cum finitimis commercio, nihil e Bœotia ac Megaride, præter hostilia agmina, advenire multos jam annos viderit. Adde quod in agris nobiles fundorum possessores multum adhuc valent et ad pacem quam ipsi exoptant animos rusticorum facile adducunt. Agrestis igitur Dicæopolis, quamvis raro urbem ingrediatur, et oculos perpetuo ad dilectum pagum, rebus necessariis tam abundantem, conversos teneat, indictis concionibus adesse vult, non ut urbis incolæ, tumultuosa quadam nova ediscendi cupidine accensus, sed unum illud patriæ utile spectans, fœdus scilicet et præsentium malorum finem. Almæ vero paci, quam optimates, equites, agricolæ votis vocant, quot et quanta videntur obstare ! Vanas spes quotidie oratores ac legati populo proponunt, quibus miseri sic perstringuntur cives, ut renovata semper fiducia, quidquid prudenter ac modeste suadetur rejiciant. Has primo spes, bellici favoris escam, Dicæopolis, vel potius Aristophanes, exstinguit. Quid enim sibi volunt missi in Thraciam et ad Persarum regem legati ? Cur tamdiu Athenis absunt ? Quæ referunt responsa, quæ sociorum auxilia reducunt? Quum binas scilicet ex ærario quotidie drachmas

accipiant, undecim ideo annos in legatione consumunt, ut drachmas possint in infinitum congerere. Suavem præterea vitam ducentes, Persicis carpentis per amænos campos molliter vecti, dulce vinum cum Thracum rege ligurientes, tritos laboribus cives facile obliviscuntur, nec Athenas rediro tot tædiorum partem vicissim capturi festinant [1]. Illinc vero pavones, ignotum avium genus, reducunt, et falsa auri promissa, et falsum magni regis legatum cum falso Atheniensium eunuchorum comitatu, et barbaras illas cohortes, atticos agros, locustarum ritu, populabundas[2].

Comicum sane spectaculum, et, ut in theatro solet, rebus ipsis magis ridiculum, non tamen ita vero dissimile, ut inde Athenienses salutaria simul honestaque documenta non haurirent. Sitalcem enim illum, ex quo tantas copias, tanta auxiliâ sperabant, Thucydides ipse nobis narrat ingenti apparatu, innumero prope agmine, vicinas sibi regiones invasisse, mox vero discessisse frigoribus et commeatuum inopia impeditum [3]. Incerto igitur et inutili socio multum confidere stultissimum erat.

Quod ad Persas attinet, ea potius quæ facere meditarentur Athenienses, quam quæ reipsa fecissent Aristophanem vituperare credam. Thucydides enim sub finem *septimi* post bellum inceptum anni ab Atheniensibus refert, Spartanorum exemplum secutis, legatos ad Regem missos fuisse, qui quum Artaxerxem mortuum accepissent, medio in itinere constiterint [3]: Aristophaneus vero Dicæopolis queritur

---

[1] Aristoph. *Acharn.*, v. 70 et sqq. = [2] Id., ibid., v. 164. = [3] Thucyd., L. II, c. 101. = [4] Id., in libro IV, c. 50.

quod *sextum* jam annum belli incommoda toleret [1]. Adde quod Diodorus mortem Artaxerxis huic anno ascribit quo principatum inter magistratus obtinuit Stratocles [2]. Aristophanis autem interpres sub Euthydemo, quem Diodorus Euthynium vocat, *Acharnenses* in scenam inductam fuisse dicit [3]; attamen quum hujusmodi consilia multo ante quam perficiantur plurimis in mentem veniant, recte quidem Aristophanes, comico jure usus, res jam susceptas finxit, et auxilia Persarum, non ut incerta modo et inania, sed ut turpissima patientia emenda rejecit. Longam sane regis absentiam Aristophaneosque legatos tamdiu exspectare coactos ridemus; sed quum in historia Callicratidam videbimus comessantis Cyri atria servare jussum, nonne cum eo Græcorum insaniam indignabimur, quos Persarum fastui tot dissidia obnoxios faciunt? Quæ autem vir vere Græcus mox profitebitur, se scilicet Athenas ac Spartam inter se conciliaturum ne Persis amplius serviant, ea lepidis fabulis comicisque salibus involuta monet Aristophanes.

Sed externorum auxiliorum inani spe exstincta, multi adhuc paci supersunt adversarii. Non enim omnes agricolæ Dicæopolis sapientiam imitantur : sunt quos præliandi temeraria cupido, et laudabilis quidem, sed imprudens patriæ amor transversos in bellum rapiat. Senes nempe Acharnenses, qui Marathonis Salaminisque meminerunt, nil nisi Athenarum laudem ac potentiam spirant, nec tot

---

[1] Aristoph., *Acharn.*, v. 266. = [2] Diod. Sic., L. XI, 63. = [3] Schol. arg., *Acharn.* Quum tamen in *Acharnensibus* de legatis a Lacedæmoniorum civitate ad regem Persarum missis mentio facta sit, libens credam, ante tempus a Thucydide notatum, hoc Spartæ consilium Atheniensibus innotuisse.

malis ab incurrente hoste illatis alia remedia quærunt, præter Lacedæmoniorum et Bœotorum internecionem. Hos quotidie magnificis verbis juvenes bellatores pascunt; hos incredibili fervore ad pugnam Lamachus incendit. At illorum errorem novis argumentis diluit Aristophanes; tot enim malorum culpam a Lacedæmoniis in populi duces transfert, non in populum quidem (nam de comico poeta ipse populus judicium laturus est), sed in pravos cives quibus turbata republica, ut tuto vivant, opus est. Isti autem, nescio quo furore in Megarenses instincti, quidquid Megara in forum Atticum portabatur implacabili odio excludebant. Mox ebrii juvenes Megarensem meretricem abripiunt, Megarenses vero duo Aspasiæ scorta. Tum ob levem impuramque causam Olympius Pericles exacerbatus, inter fulgura tonitruaque adversus Megarenses decretum jaculatur, quod miseræ genti omnibus locis interdicat, et ejus mercibus omnem præcludat exitum. Esurientibus vero sociis Lacedæmonii succurrunt, boni viri quidem et amicis jure opitulantes, et ipsos Athenienses imitati qui vel minimam ditionis suæ partem maximo apparatu defendunt [1]. Ita bellum, quod omnes historici, quod nos ipsi recentiores gravissimis causis ortum esse merito judicamus, solertia poetæ, ad nugas et inania redigitur. Ne populi Atheniensis crescentem semper ambitionem, ne Doricum Ionicumque genera, quorum unum optimatum potentiam, alterum popularem rempublicam ubique fovet, ne magna illa gentium et institutorum certamina decantemus; ex miserandis improborum quorumdam homunculorum calumniis et ex tribus meretriculis tanta malorum moles exstitit.

---

[1] Aristoph., *Acharn.*, v. 496-555.

Jam Acharnensium Atticus et Marathoniacus fervor refrixit[1]; quis enim ad Athenarum decus referre putet si trium scortorum causam, et delatorum mendacia, et tyrannicas Periclis libidines atque iras armis cives sustineant? Sed Lamachus superest, non convincendus quidem, at ita refellendus, ut ejus minis et hortationibus nemo jam ad bellum moveatur. Hujus auctoritatem una scena labefactat, imo dissolvit Aristophanes, his artibus usus, quas in multos alios convertet. Ridiculum primo illum effingit inani jactantia, et stulto tumultus amore, et vanis clypeorum cristarumque terriculis, quæ etiam in cives inermes concutere gaudet[2]. Mox longius procedens, sub jactantia ista avaritiam mollitiamque latentem detegit poeta : scilicet non bello ipso Lamachum gaudere, sed belli mercede et fructibus, dumque aliis duram militiam et præmii expertem linquat, ipsum sibi et juvenibus amicis quæstuosas legationes desumere ubi e mendicis divites subito evadere possint[3]. Neque his terminis se continet Aristophanis audacia. Illam enim potestatem qua Lamachum populi suffragia induerunt, uno protervoque verbo ad nihilum redigit : « Te elegerunt, inquit, cuculi tres[4]. »

At poetæ tempus erat in hujusmodi curriculo paulisper consistere; Cleoni enim et delatoribus ansam præbebat, qui populi majestatem ab eo violari contendebant. Hæc vero crimina quanta calliditate simul et quanto lepore diluit! Se populi contemptorem non esse profitetur, nec publicum derisorem, sed mònitorem sedulum, optimis instructum consiliis quæ civibus benevola liberalitate largiatur : se enim auc-

---

[1] Aristoph., *Acharn.*, v. 560-561. — [2] Id., ibid., v. 556-590. — [3] Id., ibid., v. 600-615. — [4] Id., ibid., v. 597.

tore, jam populum adulantibus legatis ac peregrinis minus credere[1], socias autem urbes, poetæ libertatem admiratas, vere liberum ac popularem Atheniensis reipublicæ statum agnoscere; ita patriæ vel externo imperio multum se conferre. Καὶ τοὺς δήμους ἐν ταῖς πόλεσι δείξας, ὡς δημοκρατοῦνται[2]. Perfidum quidem versum, sub quo parum popularis sententia latet. Ostendit reipsa Aristophanes quo pacto populus socias urbes gubernet; num vero illæ Cleoni et delatoribus, ut poeta testatur, obnoxiæ gaudeant, nobis valde dubitandum est.

Sed causam suam defendere pergit Aristophanes. Vix sese populi consiliarium professus est quum sensit ambitiosum quiddam huic titulo inesse, nec multitudini prorsus gratum. Quidquid igitur paulo superbius de se dixerat tam festiva jactantia et ostentatione temperavit, ut comico poetæ, fabellis et narratiunculis risum de se ipso moventi, priorum verborum arrogantia ignosceretur. Illuc enim istas magni Regis de Aristophane quæstiones, hunc injectum Lacedæmoniis ab Aristophane terrorem, hanc sociorum turbam Athenas ad visendum Aristophanem confluentium, alia multa pariter incredibilia pertinere censeo[3].

Acharnenses autem quos ut pacis adversarios derisit ne infensos sibi faciat sedulo cavet. Ubi enim ad saniorem sententiam animos flectere videntur, et pacis cupidiores fieri, eorum commoda ipse defendit, et meritos Marathone ac Salamine stipendia veteranos, juvenum oratorum petu-

---

[1] Aristoph., *Acharn.*, v. 625-641. = [2] Id., ibid., v. 641. = [3] Id., ibid., v. 626-657.

lantia lacessitos, litibusque et delatorum pedicis implicitos, vindicat [1].

Atheniensium igitur erroribus ita refutatis, bellicosorum ducum et concionatorum imminuta auctoritate, quid supererat, nisi ut pacis delicias poeta populo commendaret? In hoc quidem secunda fabulæ parte præsertim incubuit : ut quam poetico spiritu, quanto colorum splendore, quanta in patriam, in bonos cives, in universam Græciam benevolentia id egerit, neminem fugiat, litteris Græcis vel levissime imbutum.

Hæc tamen comœdia pacem restituere non valuit, quanquam non inopportuno tempore in scenam producta erat. Athenienses enim, vastatis Peloponnesi littoribus, reductisque sub ditionem ipsorum Potidæa et Mitylene, haud inhonestum fœdus icere poterant. Teste quidem Aristophane, eos Lacedæmonii ad pacem provocabant funestaque universæ Græciæ certamina sedare parati erant [2]; Euthydemo scilicet summum magistratum adhuc obtinente, si Clintonii numeris assentimus [3], Sphacteriam jam obsidebant Attici excercitus et ineunte vere circa illud tempus quo comœdiæ agi solebant ad petendam pacem a Lacedæmoniis missi, erant legati.

Quum vero cogitamus bello in longius ducto non honestiorem sibi pacem Athenienses feriisse, nec ideo miseras Platæas, Athenarum auxilio dignissimam urbem, ocius vindicatas ac restitutas fuisse, Aristophani non plaudere non possumus tantas calamitates quam citissime finire cupienti. Strenuo duci Lamacho paulo magis eum pepercisse voluisse-

---

[1] Aristoph., *Acharn.*, v. 675-717. = [2] Id., ibid., v. 651. = [3] Clinton., *Fast. hell.*, t. II, p. 74.

mus, nec facetiis, quas forsan is jactantia et ridiculo ornatu meruit, gravissima crimina miscuisse. Lamachum enim illum quem Aristophanes in bello ditescentem effingit, magnasque mercedes perpetuo captantem (μισθαρχίδην) in paupertate usque ad extremum vitæ finem mansisse testatur Plutarchus, qui bellica laude etiam supra Niciam eminuisse eum dicit, sed ob pecuniæ inopiam parum auctoritatis habuisse[1]. Lamachus scilicet, quum poetæ comico pacem commendanti obvius fieret, paulo inhumanius, ut genus id poetarum solet, ab eo tractatus est et quasi via depulsus. At vicesimo post anno, *Ranas* editurus, noster meminerit vera virtute inclarescere Lamachum et sub Syracusarum mœnibus decora morte occumbere. Id quoque reputabit quod jam in *Acharnensibus* leviter attigerat, non omnia in populari reipublicæ statu Lamachum probavisse[2], et debitam tandem forti viro laudem tribuet[3].

Acharnenses in minoribus Bacchi festis acta est, quibus soli cives in theatrum venire solebant. Indignatus enim erat Cleo quod, præsentibus sociis, magistratus Atticos antea deriserat Aristophanes; ergo ut tale crimen vitaret, duas continuo fabulas Lenæis festis docuit comicus scriptor. Audacem igitur sententiam prompturus Dicæopolis peregrinos abesse monet, quos vilibus stipulis cum bono semine mixtis comparat[4]. Nec in peregrinos illud unum jecit Aristophanes, at contra sæpius plebicolas hoc peregrinitatis crimine notavit[5]. Quod non mirabitur quisquis humani animi naturam

---

[1] Plut. in *Alcib.*, c. 21 (in fine). = [2] Aristoph., *Acharn.*, v. 618. = [3] Id., *Ranæ*, v. 1039. = [4] Id., *Acharn.*, v. 501-508. = [5] Id., ibid., v. 518. — Id. ad *Ran.*, v. 1531-1532.

vel minime notam habuerit; nemo scilicet in fures acrius invehitur quam si quis in furti suspicionem venit. Cæterum peregrinos insectando non id consecutus est Aristophanes, ut sese Athenis natum et Atticis ortum parentibus plane manifestum faceret. Non Cleo solus illum peregrinum esse dixit : sed post multa etiam sæcula utrum Rhodi, an in Ægina insula, an in Ægypto natus esset grammatici certabant[1].

Hinc lata illis panditur via qui scriptorum originem et facta innumeris conjecturis instructi rimantur, et poeticum hominum ingenium ac de rebus publicis opinionem ex privatæ vitæ casibus defluxisse contendunt. Non plane civis erat Aristophanes, patre enim vel matre peregrina natus, inter veros cives et inquilinos, quasi conditionis suæ incertus, fluctuabat; popularis vero factionis duces in examinandis civium titulis summa severitate utebantur, nec quemquam in hunc numerum admitti sinebant Pericles et Cleo, nisi utrumque parentem Attica oriundum esse probasset[2]. Quum igitur Aristophanes publicis rebus interesse gestiret, invidam plebicolarum vigilantiam fallere coactus est et a primis annis adversus eos dimicare cœpit. Imo ut res sibi plane succederet, nobilis alicujus familiæ opem forsitan imploravit et inter optimates Periclis et Cleonis legibus adversos patronos ac προστάτας elegit. Quæ quidem ingeniose conjici possunt, nec a vero multum abhorrere putem; sed ad solum Aristophanem ea pertinent. Num autem ex iisdem causis unani-

---

[1] Suidas, verbo *Aristoph.* — Schol. *Nub.*, ad v. 270 et sqq. Semel tamen Aristophanes vetus in peregrinos odium paulum remisit suasitque in *Lysistrata* (v. 579-581) ut benigni Athenis hospites vel μέτοικοι civium numero, bellis multum imminuto, adscriberentur. = [2] Plut. in *Pericle*, c. 37.

mum veteris comœdiæ de rebus publicis et moribus ipsis consensum ortum esse dixerimus? Num Eupolis, Phrynichus, Amipsias dubio genere nati, ut Aristophanes, et incerti cives erant? His ergo interpretationibus quæ ex unius tantum hominis vita ducantur contenti esse non possumus; sed forsitan, dum Aristophanis comœdias scrutari pergemus, eum cæterorum poetarum fragmentis comparatas, comicorum munus ac partes melius nobis intelligere licebit.

§ 3. — *De Equitibus.*

In *Acharnensibus* quidem infestissimum pacis adversarium oblique tantum et obiter præstrinxerat, et equitum populique iram uno aut altero versu illi minatus erat: durante autem bello et increscente Cleonis audacia, in eum totas vires contulit, potentissimis ejus inimicis aretius inhærendo. In nova enim fabula ex equitibus constare fingitur chorus, nec jam ridiculus ille strenuorum quidem sed leviter ineptorum senum apparet cœtus, at fortium juvenum, reipublicæ recte consulentium et bona præditorum mente; quorum laudes in scena crebro personant, jocis in Cleonem, nunquam in ipsos cadentibus, intermixtæ. Quod præclare olim adversus Medos et in novissimis præliis adversus Peloponnesios gesserunt ferventibus ac plenis Marte versibus enarrantes inducuntur[1]; et quasi chorus reipsa ex equitibus conflatus esset, sese nunquam alius poetæ versus declamaturos profitentur; hunc vero tam strenuum esse, tam justi studiosum, tam inimicum Cleoni, ut id ei recusare nefas habuerint[2]. — Τοὺς

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 595 et sqq. = [2] Id., ibid., v. 510.

αὐτούς ἡμῖν μισεῖ : his verbis arctissimum pangitur inter Aristophanem et equites fœdus. Qui vero fuerint illi equites, et ex quali Atticæ gentis parte conflati, diu non dubitatum est, et græcis poetæ interpretibus assensum, secundam civium classem, et juxta παντακοσιομεδίμνους ditissimam, Equites vocatam fuisse referentibus ; hinc mille et ducentos viros eligi solitos esse, qui, quoties patria jussisset, Atheniensem equitatum supplerent[1]. Ipse Boekhius, doctrina tam insignis, primam classem instruendis navibus et choris, vel, ut Græci dicebant, τριηραρχία et χορηγία, pecuniam impendere coactam, equestris sumptus ac militiæ prorsus immunem fuisse judicaverat[2]; sed Fridericus Hermannus[3], quum Xenophontis ac Lysiæ verba quædam diligentius excuteret, eosdem Athenarum cives et equitando, et naves chorosve adornando patriæ nonnunquam profuisse deprehendit; hinc ergo colligit non ab unius classis hominibus equestre munus obitum esse, et duas res, non paulum inter se diversas, ἱππεῖς verbo significari potuisse ; seu quis reipsa equo militaret (ἱππεύοι), seu equestrem censum penderet (ἱππάδα τέλοι), atque ob eam causam *civili* ἱππέων *classe* contineretur. Aristophanis vero fabula viros equis militantes, non secundæ classis juvenes, in scenam induci ideo contendit Hermannus, quod multa bella ab equitibus præclare gesta ipsorum cantibus celebrentur. Cæterum illos fatetur, quum divites essent et honestissimo loco nati, optimatibus semper favisse. Nonne enim triginta tyrannos, vicesimo post hanc

---

[1] Suidas, Ἱππεύς... Arg. *Equit.* ab incerto auctore.— Andoc., *De Pace...* = [2] Bœkh., Staatshausalt. t. II, p. 35. = [3] Frid. Herm., *Progymnasmata ad Aristoph. Equites ;* Marburg, 1836, 1837-1838. In primâ disputatione.

comœdiam anno, stipaverunt, et in perpetrandis façinoribus adjuvere? Nonne miseros cives Eleusine abductos in lictorum manus tradiderunt? Nonne, Critia interfecto, et Thrasybuli sociorum numero crescente, paucorum dominationem constituere animis obstinaverunt, et decem novos magistratus qui res publicas cum equitum magistris regerent eligendos curavere[1]?

— Cleonis quidem tempore, nondum eos stultis populi consiliis et misero Syracusanæ expeditionis eventu exacerbatos, ad vim et crudelitatem minus propensos fuisse concedam; nondum etiam immanibus istis ducibus parebant, a quibus nil sancti, nil pensi habebatur; pius vero, et mitis, et timidus Nicias nihil eos, nisi per legitimas artes ac vias, adversus popularem temeritatem tentare sinebat. Cleonem ergo quum in furto ac corruptelâ deprehensum et ad judices adductum quinque talenta, ut ait Aristophanes, evomere coegerunt[2], forensi, ut ita dicam, victoria, nonnulli eorum privatas injurias ulti sunt; nam si Græco *Equitum* interpreti credimus (*Scol.* ad v. 225), ipse Cleo, quum equitibus adscriptus militaret, multas eis molestias præbuit, deserti officii sodales sæpius accusando. At, quamvis intra legum terminos sese adhuc continerent, optimatum potentiæ eos favere nemo dubitabat; nec fieri potuit quin Aristophanes, amicum sese equitibus profitens, huic factioni adnumeraretur, cujus robur ac nervus equestris ordo erat. Nec illis fortasse inutile fuit ab eo laudari; occulti enim in Lacedæmonios studii suspectos homines novissimo bello adversus ipsos Lacedæmonios

---

[1] Xenoph., *Hell.* L. II, c. 4. = [2] Aristoph., *Acharn.*, v. 6.

fortiter pugnasse ostendebat, nautarum turbæ immixtos, qui popularem reipublicæ statum tam studiose fovebant [1].

His ergo sociis fretus poeta, quum Cleonem ex summo potentiæ fastigio deturbare in perpetuum statuisset, populo primum et electi a se ducis et sui ipsius pudorem injicere voluit. Quam autem populi imaginem comico stylo descriptam Atheniensibus obtulit? Eam nempe quam a comœdiarum scriptore, in partium certaminibus versato, effingi necesse erat. Quidquid in Atheniensum imperio ridiculum simul et deforme erat, exclusis prope virtutibus, in unum congessit, et ornatum ita populum ipsi populo ridens ostendit. Tempus et operam frustra consumat quicumque Aristophanei *Populi* imaginem ex omni parte veram vel falsam probare conetur. Oratorum adulationibus delectatum nimis ac sæpe inebriatum illum fuisse quis neget? At prudenti laudatione et commemoratis opportune majorum tropæis nonne ad magnas res perficiendas sæpissime stimulatus est? Meras quidem laudes audire gaudebat; sed mixtum, ut ita dicam, ex laudibus ac vituperatione poculum non semper ab eo rejectum fuisse Demosthenes, egregius civium laudator castigatorque, exemplo suo demonstrat. Imo nonnunquam multas reprehensiones ac contumelias paucissimis temperatas laudibus, dum festivitate quadam et lepido sale conditæ essent, benigne accipi expertus est ipse Aristophanes, qui tantos inter plausus *Equites* in scenam induxit, et a Cleone bis terve denuntiatus judicum suffragio semper liberatus est.

Ego vero, quoties funestissimos illos dies recordor, quibus temeraria consilia Attica gens iniit, Aristophanem vera

---

[1] Aristoph., *Equit.*, chor., v. 566-580. — 595-610.

dixisse exclamo. Morosum sane senem, et delirum, et usque ad sævitiam cerebrosum tunc se præbuit populus, quum veterum religionum specie obcæcatus victores ad Arginusas duces carnifici tradidit : sed anno ante sexagesimo Cimonem invidæ Lacedæmonis causam agentem tanta magnanimitate audierant, ut prope oppressis æmulis auxilia mitterent. In hoc stultum quem depingit Aristophanes populum frustrà requiro, et *Equitum* scriptori indignor : immerito quidem ; nam comici operis jure usus est, et ideo tantum mendacii argui potest, quod quidquid verum erat non declaravit. Prodeat igitur nostros ante oculos populus ille, cui, ut res suas sapienter gerat, equitum consiliis opus est. Prodeat, non, ut forsitan exspectamus, pubescenti puero similis cui vires et ætatis ardor supersunt, quem vero adulationes et conciones temerariæ, et stips ab oratoribus distributa, et promissa insularum tributa ac Siciliæ imperium corrumpunt, sed senex mente deminutus, qui quondam corpore et animo viguit, nunc autem adulatoribus et scurris obnoxius jacet[1].

Vix oratorem ille audiit, summum erga populum, imo erga infimam plebeculam studium profitentem, quum stulta superbia elatus, demulcenti parasito omnia permittit[2]. Sed, ut apud eum diuturna gratia fruatur adulator, istas verborum blanditias quotidie renovare debet, et si quis alter populo placere conetur, huic competitori viam præcludere. Gratum seni munus offerre parat Demosthenes imperator : currat igitur Cleo, coctam ornatamque placentam præripiat, et suo nomine esurienti domino apponat[3] : æmulos autem conti-

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 40-70 ; et passim. — [2] Id., ibid., v. 340 et sqq. — [3] Id., ibid., v. 55 et seq.

nuis criminibus suspectos faciat; se solum ejus amatorem, defensorem, custodemque quotidie prædicet[1]. Nec verbis tantum aduletur, vel rebus egregie pro populo gestis se commendet; sunt enim alia quæ seni magis quam tropæa et laus bellica placeant; ea scilicet, quæ commodam vitam præstent, et pigram, et facilis quæstus voluptate refertam. Jus dicere gaudet populus, et potentiam suam exercere, sed infructuosum laborem fugit; ipsum laborem, si possit, omnino tollat, nec quidquam dulcius auribus ejus instillari potest quam hæc verba : « O Popule, i lavatum ubi prius unam litem judicaveris; sume offam, sorbe, jenta, cape tres obolos; vin'tu ut cœnam tibi apponam[2] ? » Quid si vanam senis superbiam simul ac mollitiem demulseris, si pulvillum sedenti supponens dixeris : « O amice, ne nates quæ tantum Salamine laboraverunt atteras[3] ! »

Adde superstitionem, et oracula quæ tam stolide inhians accipit. Quantum oratori prodest, si deorum jussa interpretatus ad eum accedit, et imperium illi, deliciasque, et occupatum litibus dijudicandis otium pollicetur : « In Arcadia subacta, o populе, quinos obolos accipiens jus dices; imo universæ terræ, placentas liguriens, imperabis[4] ! » Hæ sunt enim artes, hæc mendacia, quibus captatur populus; quisquis fucum illi ita facere callebit, adversarios perdet, ærarium expilabit, divitibus et Athenarum sociis extorquebit munera, cœlum terramque miscebit, et ex turbato mari quidquid volet piscabitur[5].

---

[1] Aristoph., *Equit.*, loco citato, v. 1340 et seq. = [2] Id., ibid., v. 50-53. = [3] Id., ibid., v. 785. = [4] Id., ibid., 798, v. 1089. = [5] Id., ibid., v. 164 et seq.

Nec Atticæ comœdiæ principi satis fuit populum ab erroribus ad meliora conversum efiingere, et sapientioribus viris, furioso plebicola expulso, sese permittentem. Hunc vero mediis ineptiis adhuc versatum induxit; scilicet quo planius ostenderet quomodo solerent mali cives ad summum fastigium evehi. Non ratione et prudentia populus adduci potest ut Cleonem suum tandem fastidiat; istum vero a se non prius dimittet quam alter exstiterit, Cleone etiam impurior, qui turpibus blanditiis, oraculorum præstigiis, et omnium nugarum fascinatione scelestum vincat.

Hinc ridiculum illud et comica vi fervidum certamen oritur, in quod totam impudentiam Cleo et isiciarius, totam vero stultitiam et importunitatem populus conferunt. Protervam pugnam, quam inexpiabili odio accensi, suscitavere, Demosthenes, Nicias et Equites spectant simul et acuunt. Quam in foro rationem secutus sit Demosthenes ignoramus; hunc tantum Cleoni iratum fuisse scimus ob ereptam sibi ad Pylum captorum Lacedæmoniorum gloriam; nec miremur, si ad perdendum plebicolam cum Nicia et equitibus coiisset.

Omnes ergo in Cleonem ruunt, nil primò, præter ejus perniciem, spectantes. Procedit adversus eum isiciarius, dotibus illis instructissimus quas ad captandum populi favorem optimas declarat Aristophanes, liberalium scilicet artium, ac prope litterarum inscitia, ingenita protervitate, quam insuper forensis usus enutrivit, ore impudenti, stentorea voce, furandi ac pejerandi usu, omnium denique hominum ac rerum contemptu [1].

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 186-190; 217-119.

Illis igitur inter se minis competitores depugnant, quas Cleo iratus vel quæstum captans, per totum forum crepare solet : furiosas delationes, immanes calumnias et omni veri specie destitutas, et horrenda supplicia sibi invicem pollicentur. Sperat paulisper Cleo iram equitum dolosa assentatione sese placaturum ; « Viri, exclamat, vestra causa vapulo ; vestræ enim virtutis monumentum in urbe erecturus eram[1] ! »

At turpe obsequium strenui juvenes respuunt, non peregrinis similes, vel placidis et agnina indole præditis civibus, quos Cleo, e suggestu speculatus, vexavit toties spoliavitque[2].

Explicatis ergo velis inanes tandem minas omittunt æmuli, et ad senatum serio luctaturi festinant. Hic enim populi decreta præparantur, huic concilio Solonis leges mandaverunt, ut populum auctoritate modereratur. Dignos prorsus tali munere se præbent senatores, nec ob leves causas hominibus favent. Si quis eis gratus fieri cupiat, ne pacem et fœderis ineundi conditiones memoret ; sed de vilitate pisciculorum prospera nuntiet, et opima Diis sacrificia ad sardinarum magnam vim impetrandam voveat[3]. Proprio denique sumptu senatoribus pisciculorum condimenta præbeat, et coriandri obolo sancti consessus gratiam sibi conciliet[4]. Ita nempe vicit Argoracritus; his nugis delectati senatores surrexerunt et cancellos curiæ læti transiluere. Sed apud populum res disceptanda est : vocato igitur sene, omnes dolos ambo adhibent, et in fœdissimas adulationes prorum-

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 266 et seq. = [2] Id., ibid., v. 313, 48 et pass. = [3] Id., ibid., v. 642-673. = [4] Id., ibid., v. 676-682.

punt, et cunctis oraculorum somniorumque mendaciis populum circumveniunt. Tunc etiam Cleonis proditiones et rapinæ, et abominandi mores deteguntur: tunc quidquid in eo laudant Athenienses implacabili simul ac festivissima detrectatione labefactatur. Quid miramini, stulti cives, quod Cleo tantas pecunias in ærarium contulerit, nullam privatorum rationem habens, dum populo gratificetur[1]? Qui vero difficile panes alienos furari, quos deinceps moroso seni apponas[2]? Cur æterna cum cæteris Græciæ gentibus bella fovet? Num ut Athenienses novas addant imperio terras? Non ita; sed ne bello intenti furantem plebicolam perspiciant[3]. Omnes conjurationes detegi simulat, ut, concitatis turbis, aliquid sibi arripere possit[4]. Quid in toto foro circumspectat vir exsecrabilis? Advenam scilicet divitemque hominem, quem pecunia mulctet, ut magnam mulctæ partem sibi arroget[5]; vel miserum terrendo, ab eo ingentia dona extorqueat. Ita piscatores e summa rupe thunnos in mari transeuntes circumspiciunt[6]. Jam quid aliud ad Pylum, nisi alienam messem secuit? quam deinde Athenas reportatam venditat[7]. Omnia Demosthenes ei præparavit; tantum enim pondus Cleo non sustinuisset, nisi illius humeris imposuisset collega[8].

Captorum hostium clypeos Diis dedicavit; sed cur illis amenta reliquit? Nempe, ut socios suos, arrepta opportunitate, armare possit, et ad arcem occupandam ducere[9]. Senis

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 776. = [2] Id., ibid., v. 777. = [3] Id., ibid., v. 807 et seq. = [4] Id., ibid., v. 257. (ὑπ'ἀνδρῶν τύπτομαι ξυνωμοτῶν).= [5] Id., ibid., v. 259-265. = [6] Id., ibid., v. 313. = [7] Id., ibid., v. 391-394. = [8] Id., ibid., v. 1055-1058. = [9] Id., ibid., v. 847.

vero negotia cujus farinæ hominibus committit? Nonne Hyperbolo, lucernarum inepto et improbo opifici? Nonne ignavo Cleonymo, cui nec vox, nec statura desunt, sed bellica virtus, abjectumque in fuga scutum[1]? Frustra igitur oraculis populum Cleo deludere tentat; isiciarius enim multo splendidiora et populo blandiora promit[2]; jamque annulum suum a Cleone senex repetere vult[3]. Una tamen isti spes superest, si jucundiores hero epulas apponere potuerit; at miserum sua perdit auri cupiditas; vix enim ei nuntiatur externos legatos crumenas gestantes advenire, quum, oculis alio conversis, assatum leporem, gratissimum Populo alimentum, sibi ab æmulo subripi patitur[4]. Tunc demum de Cleonis imperio actum est; senex enim, barbaris Asiæ tyrannis mollior et impotentior, lepore sibi oblato, omnia oblivisciter; nec venandi laborem a Cleone susceptum curat; neminem enim, præter eum qui leporem apposuit, videt[5]; imo arcam victi assentatoris scrutari jubetur isiciarius: quam plenam frustis immanibus inveniunt. Apparent abjuratæ parasiti rapinæ, qui, quum populo multa dare videretur, plura sibi reservabat[6]. Ergo carissimus nuper seni coriarius victoris æmuli arbitrio permittitur.

Hic equidem perfecta erat et absoluta stulti importunique populi effigies; sed hos intra terminos amicus Equitum, imo patriæ, poeta consistere non poterat. Majora profecto et Athenis digniora optat, quam scelestum hominem a sceles-

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 1632,— v. 958,— v. 1371 (*De scuto Cleonymi*). = [2] Id., ibid., v. 1015-1095. = [3] Id., ibid., v. 959 et v. 999. = [4] Id., ibid., v. 1195-1198. = [5] Id., ibid., v. 1284. = [6] Id., ibid., v. 1210-1219.

tiore deturbari. Jam ergo sentiemus comicam hanc rerum mutationem, etsi ab isiciario peractam, a Nicia tamen et optimatibus susceptam fuisse. Deceptus diu populus ad sanam mentem reducitur, ad eam scilicet qua sub Miltiade et Aristide usus est[1]. Ab his nempe optimatum auctoritas defensa fuit; his vigentibus plurimas causas adhuc Areopagus judicabat; quamvis autem Aristides cunctis civibus magistratum aditus aperuisset, optimatum consiliis illos dociles efficiebat. Hoc suadente maritimum imperium, ita acceperant Athenæ, ut cum Sparta ictum fœdus non frangerent; hoc deterrente, utilia simul et improba Themistoclis adversus sociorum classem consilia rejecta erant; hoc ærarium moderante, nemo furari potuerat, nemo a sociis quidquam præter justum ac legitimum exigere.

Illis igitur nominibus auditis, quæ optimatibus et prisci moris custodibus tam cara erant, poetam suspicamur pristina instituta, non ità pridem abolita, commendaturum, primarum scilicet classium et Areopagi auctoritatem. Non eo tamen devenit Aristophanis audacia, nec unquam populi iras, suspecta instituta nominatim approbando, concitare sustinuit. Jam enim in priore fabulæ hujus parte, quum egregiis versibus, quos nunquam satis relegimus, abstinentiam Equitum, et sincerum patriæ amorem celebrat, priscorum ducum virtutibus parem, recentiorum vero avaritia et inani gloriola multum abhorrentem, pro tantis meritis quid horum nomine flagitat? Auctoritatemne? an imperium? Nil tale; sed ut innocuæ divitum juvenum luxuriæ ignoscatur, neve comam alentibus et cutem curantibus populus

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 1324.

invideat[1]. Hic rursùs magna exspectantes pariter decipimur; non quod data civibus consilia mala esse judicamus, sed quia eum optimatum votis plenius ac manifestius fauturum arbitrabamur.

Quid ergo sanatus et renovatus populus, auctore Aristophane, decernit? Primo plebicolarum minis non jam ita terrebitur vel promissis allicietur, ut eorum arbitrio causas judicet[2]. Deinde remigibus, statim ac portum tetigerint, integram mercedem vere populari liberalitate solvet. Quisquis autem peditum numero adscriptus fuerit, hunc in alium ordinem transcribi et Equitibus, verbi gratia, temere immisceri non patietur[3]. Adolescentulos in unguentariorum officinis de republica temere garrientes negotiis abstinere et venatum ire jubebit[4]. Pacem denique firmam et longam in triginta annos componendo, felicitati suæ cumulum adjiciet[5]. Qui autem tricennales illas inducias consulto impediebat, intestabilis scilicet iste Cleo, in infimos plebeculæ ordines detrusus, cum scortis et balneatoribus rixabitur[6].

Hæc tantum suadet Aristophanes; ex his constat illa quam prædicat populi renovatio. Hæc, ut postea videbimus, *plus in secessu habent quam in fronte ostendunt*; primum certè de judiciis decretum opinione latius pertinere *Vespæ* demonstrabunt. Sed in *Equitum* fine, intra arctiores terminos subsistere poeta cogebatur. Nonne enim tot contumelias quibus miserum populum ridendo cooperuerat ali-

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 576-580. = [2] Id., ibid., v. 1357-1362. = [3] Id., ibid., v. 1368-1370. = [4] Id., ibid., v. 1372-1382. = [5] Id., ibid., v. 1387-1395. = [6] Id., ibid., v. 1395-1400.

qua ratione pensare debebat? Nonne satis erat quod circa dimidiam fabulæ partem lychnorum istos et stupparum et corii venditores illuserat, quos populus, multos bonos ac probos excludendo (ἀλλοίτε πολλοὶ, καὶ καλοίτε κἀγαθοί) [1], unice amplexatur ac fovet? Quisquis enim hujus verbi καλοὶ κἀγαθοί sensum duplicem novit, his versibus optimates populo commendari non dubitet [2]. Hunc igitur si ideo tantum ad sanem mentem revocari finxisset, ut magnam suæ potentiæ partem optimatibus resignaret, nonne hac ultima offensione multitudinis animos graviter, ac forsan in perpetuum, a se abalienasset?

Laudibus igitur faustisque præsagiis hanc jocorum asperitatem temperaturus, sanabilem populum finxit, nec ob errores tam acriter vituperandum quam impuros illos plebicolas ac præstigiatores [3]. Scilicet quum Cleonis et Hyperboli tot delicta populus prætermittit, ne tunc quidem stolidus est. Res suas diligentius inspicere, præ pigritia, non solet; sed postquam, conniventibus prope oculis, nonnulla furta vidit, in fures subito consurgens quidquid raptum est restituere cogit [4]; cæterum, quoties in Pnyce non sedet, de rebus publicis consultaturus, populo Atheniense nil sanius ac prudentius est; in Pnyce stupent cives (τὸ τοῦ δήμου πρόσωπον μακκοᾷ καθήμενον [5]); in theatro omnia perspiciunt [6] (τὸ γὰρ θέατρον δεξιόν.)

Qualem depinxerit Cleonem Aristophanes, coacta in breve et paucis paginis enarrata fabula, satis monstravi-

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 737-740. = [2] Vide hoc verbum in Plut. in *Nic*, c. 2. = [3] Aristoph., *Equit.*, v. 1355. = [4] Id., ibid., v. 1120 et 599. = [5] Id. ibid. 749-755. — v. 396. = [6] Id., ibib., v. 233.

mus. Restat ut quæ optimatum factio huic homini falsa imputaverit, aut vera auxerit in majus, diligenter secernere tentemus. Neque id quidem facile fieri potest; gravissimi enim historici vel in republica Cleoni adversarii fuerunt, ut Thucydides; vel, ut Diodorus, pauciora de illo tradidere quam ut omnia Aristophanis crimina plane ac dilucide disceptare liceat; vel, ut Plutarchus, et Diodorus ipse, tam longo tempore post res ipsas vixerunt, ut metuam ne illas Aristophaneis et Thucydidiis coloribus nimium imbutas acceperint. Sunt quædam tamen quæ negare nemo sanus audeat. Qui enim sustinuisset comicus Cleonem populo et judicibus tres obolos dividentem toties effingere, nisi reipsa hac mercede animos sibi conciliare plebicola tentavisset? De quinque talentis quæ rite judicatus evomuit Cleo, mentiri Aristophanes non potuit. Ea enim publice acta erant, et aliquem in civitate motum sane concitaverant. Cleonem quidem non asseram id perpetuo studuisse, ut placidos miserosque cives ac peregrinos denuntiando vel delationis metu sollicitando spoliaret; hæc aliquando tamen populo spectante illum admisisse reor; tot enim jocos ad istiusmodi delicta pertinentes in insontem jaculari absurdum fuisset.

Ejus vero impudentiam eo die quo concionem dimisit ut hospitali convivio fungeretur risit quidem benignior populus, sed agnovit; jactantiam, quum Lacedæmonios in Sphacteria insula a se captum iri pollicitus est, severiore risu exceperunt omnes[1]; corruptelam denique, ut vidimus, ipsi judices quorum mercedes ac commoda tanto studio defendebat,

[1] Plut., in *Nic.*, v. 7.

damnare coacti sunt. Cleo tamen amicis priusquam rempublicam capesseret declaraverat se amicitiam potius illis renunciaturum quam eorum gratia quidquam injuste faceret[1]. In bello, non peritus quidem imperator, sed ipsa vehementia utilis fuit : nam omnia sane ad obsidendos Lacedæmonios paraverat Demosthenes; illos tamen aggredi non audebat. Cunctantem igitur cum cæteris militibus Cleonis cæcus furor, delationem forsan apud populum minantis, impulit. Haud aliter, quum undique externis cohortibus nostra cingeretur Gallia, legatos ad exercitus terribilis ille senatus mittebat, qui ducis officia ex tempore discentes, proprio ardore prætorem, milites, ipsos provinciæ incolas incendebant. Ultimo autem ad Amphipolim prælio Cleonem fugisse Thucydides refert, Diodorus vero magna virtute pugnantem occubuisse[2]. Quam quidem pugnam Thucydides ita narrat ut locupletem ac bene doctum testem decet; at vetus in Cleonem odium paulo suspectiorem eum facit. Plebicolam igitur concedamus, inclyta Brasidæ peritia oppressum, in vicinis Amphipoli collibus cunctando risum movisse militibus; non illis tamen fugiendi signum dedisse.

Quod de fictis oraculis somniisque jocatur Aristophanes non falsum arbitror, quoties Thucydidis locum reputo, ubi plura oracula Peloponnesiaci belli initio Græciam pervagata esse legimus[3], et Demosthenis oratoris artem, qui, vix audita Philippi morte, in publicum prorupit et a Diis per noctem sese hujus mortis monitum esse clamavit[4]. Ejus-

---

[1] Plut., in libro : *An seni capessendo sit respublica.* = [2] Thucydide, L. V, c. 11. — Diod, Sic., L. XII, c. 75. = [3] Thucyd. L. II, c. 8 et 54. = [4] Plut., in *Demosth. vit.*, c. 22.

modi tamen mendaciorum num unquam tanta copia a Cleone continuo producta fuerit, non magis necessarium est inquirere quam ea scrutari quæ de clypeorum ansis excogitavit Aristophanes[1].

Hæc enim et comicus poetæ impetus et ipsa operis lex attulerunt. Sed Cleoni inusta semper manebit ob certissimum scelus, crudelitatis nota : nonne enim ille Atheniensibus suasit ut rebelles Mitylenæos ad unum occiderent? Quod quidem facinus cur Aristophanes Cleoni non acrius exprobraverit, primo admiratus sum. Unam enim, de ea re, et valde quidem obscuram vocem in *Equitibus* deprehendi. Quadraginta nempe minas, si poetæ credimus, ex Mitylenensium civitate accepit Cleo[2]. Quid vero sibi vult hæc accusatio? Utrum Cleonem sibi conciliare voluerunt Lesbii; ille autem, sumpta pecunia, eorum spes fefellit? Sed si id fecisset, omnes sociorum urbes ipsi jam non fidere nec ulla amplius munera offerre docuisset. An ut in secunda concione decretum suum aboleri sineret quadraginta minæ oratori datæ sunt (quod quidem Aristophanis interpres opinari videtur[3])? at Thucydides Cleonem ad decretum defendendum acriter perorasse memorat[4]. Nisi forte plebicolam, quum priorem de rebellibus sententiam palam tueri pararet, clam tamen, pecunia corruptum, ut res iterum ageretur annuisse significaverit poeta, vel navem sævi decreti nuntiam consulto remoratum fuisse, vel contra a Methymnæis Tenediisve, perpetuis, ut refert Thucydides[5],

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 834-835. = [2] Id., ibid., v. 835. = [3] Schol. Aristoph., ad *Equit.*, v. 835. = [4] Thucyd., L. III, c. 36 et sqq. = [5] Thucyd., L. III, c. 2.

Mitylenæorum æmulis, ut miseros perderet, nummos accepisse. Mitylenen quidem et ipsam humanitatem melius ultus esset Aristophanes si Cleoni crudelitatem aperte objecisset : at talibus, opinor, criminibus in comœdia locum esse non judicavit ; quis enim tam atrocia hilaris spectare possit ? Quis horrendæ stragis effigiem tot festivis rerum imaginibus immiscere ?

Ex alia ejusdem poetæ fabula Cleonem discimus plebeculæ patronum in privatis negotiis parvisque litibus sese professum esse[1]. In *Ranis* enim, pistrix quædam inferis habitans Cleonis auxilium quærere fingitur, ut ab Hercule raptas res repetat. Num eo munere ita functus sit ut minus oppressos defendere quam eorum in divites invidiam concitare nullo exemplo plane demonstretur, at scimus quam paucis contigerit id officium aliter implere. Nec illud ipsum liquet, quo pacto hoc patrocinium suscipere solitus sit. Pauperes fortasse adjuvabat, qua ratione jus suum tuerentur, incertos ; illos nempe ad ἄρχοντας ducebat, quorum erat litium cognitionem excipere, illos totum negotium solerter et ad certas regulas moderari docebat ; illis oratiunculas scribebat, quas ipsi coram judicibus pronuntiarent, vel concessa interdum reorum amicis facultate usus[2], postquam illi propriam causam egerant, pauca verba pro eis, sed non inutilia, faciebat. Nec raro evenisse crediderim ut illatas pauperibus injurias obiter quidem, sed non sine ira quadam ac vehementia, in ipsa concione Cleo denuntiaret.

---

[1] Aristoph., *Ranæ*, v. 569.= [2] Hyper. pro Lycophr. in fine. Vide Egger. disputation. : *An apud Athenienses causidici exstiterint.*

Cæterum, præter versatiles dolos, et aliquam dicendi, vel potius res oratione perturbandi solertiam, nullum in eo ingenium fuisse declarat Aristophanes : at Cicero, etsi turbulentum eum civem dicit, non clamosum tantummodo rabulam, sed eloquentem virum fuisse arbitratur[1].

Ex his ergo colligamus nulla Cleoni vitia falso imputasse Aristophanem, sed quæ reipsa illi plebicolæ inessent, comico jure usum, auxisse, uno tamen facinore omisso, quod apud posteros Cleonis nomini certissimam conflat invidiam.

§ 4. — *De Vespis.*

Quum *Equites* fabulam palma decorassent poetici certaminis judices, jacere Cleonem credidit Aristophanes, et in *Nubibus* triumphum cecinit[2]. Quantum erraverit ipsum mox agnovisse constat, nam secundo post commissam *Equites* anno (ante J.-C. 423), Cleonem rursum aggressus est, vel eos potius qui, Cleonis liberalitate capti, plebis assentatori præsentissimum auxilium præbebant.

Judices scilicet, quos ex populo ductos annua sors designat, quidquid in Pnyce populus agit decernitve, imo quidquid amat et odit, mox in tribunalibus, præsertim in *Heliæa*, absolvendo mulctandove sanciunt. Postquam in deliberatione obstitit Cleoni adversarius et alterutri victoriam publica suffragia dedere, nondum inter duas factiones plane debellatum est : renovatur enim ante judices certa-

---

[1] Cic., *Brut.*, c. 7. — [2] Aristoph., *Nub.*, v. 549-550.

men; hic si vel minima alterutrum proditionis, corruptelæ vel ignaviæ suspicio premit, accusatori respondere cogitur, iisdem damnandus absolvendusve, qui de utriusque sententia nuper in communi civium concione decreverunt. Hic equidem de cujusque meritis ac dignitate nova sæpe concertatio exoritur; quem populus plausu in foro excepit et ad summos honores evexit, judices, minor populi pars, auditis adversarii argumentis, sceleris convictum fatentur et damnant. Si quis autem populum ita sibi devinxerit ut ducti e multitudine judices magna jam in ipsum benevolentia instincti ad tribunal accedant, præsertim si inter judicandum nova ab eo beneficia acceperint, quam difficile erit in hujus hominis caput illorum iram concitare! Manifestum furti Cleonem pecuniam reddere fortasse cogent, sed recordati per eum mercedem judicialem ad tres obolos auctam esse, et diligenter quotidie solvi, præter hanc restituendi necessitatem nullam ei pœnam irrogare audebunt.

Quisquis igitur Cleonem gradu deturbare cupiet, ejus apud judices gratiam minuere conabitur. Quum autem judices nil nisi populus ipse sint, merito dictum est omnem populum in *Vespis*, non ut in Racinii *Litigatoribus* paucorum hominum ordinem, derideri. Quod quidem nonnullis hoc præsertim tempore displicuit : Atheniensem enim populum popularemque rempublicam admirati, tantum Aristophanis civibus judicandi studium, tantam φιλοδικίαν fuisse negaverunt[1]. « Nonne, inquiunt, ad tribunal judices per vim prope, at saltem per minas cogendi erant? Nisi merces judicaturis vel in concione sessuris proposita esset, quo-

[1] Duruy, *Histor. grec.*, c. 13, p. 296, not. 2.

tusquisque judiciale vel civile munus implevisset ! Id ipsi optimates agnovere, quum nunquam plus quinque millibus civium concioni adfuisse dixerunt[1]. Adde quod suum cuique negotio tempus præfixum est, nec longioribus epilogis, ut Romæ, uti licet, clepsydra nempe orandi spatium metiente[2].

Ad ea respondebit Aristophanis admirator : Multos fateor tribus tantum obolis ad privatas res linquendas alienaque negotia curanda adduci ; quam multi autem ex hac judiciaria vel concionali mercede viventes omnem laborem præstitæ in Pnyce vel tribunalibus operæ posthabent ! Occupatum enim decretis faciendis et civium fortuna disceptanda otium regale existimant. Num vero hac superbia elati homines et tali simul pigritiæ indulgentes de rebus æque sapienterque judicant ? Nonne ii sunt qui popularis reipublicæ vitia augeant et exasperent ? Nec desunt qui mane surgentes exeundi domo necessitatem detestentur, mox vero cum collegis sedentes superbire et cristas attollere incipiant, et mercedem regio illo judicandi munere quæsitam omnibus rebus anteferre. Non comico licebit istiusmodi viros irridere, et quantum a judiciali sapientia distent cunctis exhibere ? Utinam tamen illa merces adeo certa et immutabilis esset, ut eadem semper judicibus essent exspectanda ! Sed penes plebicolas ea sunt, qui populi liberalitatem modo *dilatare*, modo orationibus *coarctare* callent[3]. Si inimicissimum Cleoni reum judices damnaverint, tum populo Cleo persuadebit, etsi flagret cum Peloponnesiis bellum, ad augendam judicum mer-

---

[1] Thucyd., L. VIII, c. 72. = [2] Quintil., *Inst. orat.*, L. X, c. 1 = [3] Aristoph., *Equit.*, v. 720.

cedem ærarium sufficere. Sæpius enim illa mutata fuit ; et quamvis sibi ipse populus eam decernat, exspectat semper donec Pericles aut Cleo decernendam proposuerint. Nec diffiteor in Atticis judiciis certos fuisse fines quibus rerum disceptandarum tempus contineretur ; quis autem heliastas vetabit, ut tres obolos sæpius accipiant, paucissimas quotidie causas judicare ? Ad senatum populumve frustra querantur rei, si quis orator vel plebicola judicum pigritiæ et avaritiæ patrocinetur. Nisi jure dicendo multum delectarentur Athenienses, num Euripides tragœdias tot judicialibus argumentis et altercationibus referciret ? Num Helenam accusatam ab Hecuba, Orestem a Tyndaro, Hippolytum a Phædra et Theseo effingeret, non plena tragici doloris sed forensis subtilitatis verba effundentes? Num insulanos Athenis tantum judicandos esse decrevisset populus [1] ?

— At enim hoc poscit popularis respublica ; si ducibus inspectoribusque in insulas missis res paulo graviores disceptare liceret, non multitudini jam, sed paucis obsequium ac tributa penderent socii. Nisi populus ipse, in multiplices judicum decurias divisus, a magistratibus suis omnium factorum et omnis pecuniæ commissæ rationem exigeret, tyrannos mox vel paucorum potentiam consurgere videremus. Nonne judicum sententiæ ipsos populi errores corrigunt, et quod cæcus in foro impetus decrevit, tuendarum legum causa sæpissime abrogaverunt ? Quoties enim orator, quum rogato plebicisto victor jam abiret, violatæ legis (παρανόμων) accusatus et

[1] Xenoph., *De Republ. Ath.*, c. 1 (sub finem. Δοκεῖ δὲ δῆμος.)

damnatus est[1] ! Nonnumquam etiam designatus suffragiis vel sorte magistratus a judicibus ob indignitatem gradu deturbatus est[2] !

— Ad hæc Aristophanes : Si popularis respublica tantam judiciorum copiam tantamque judicum potentiam flagitat, eo magis refert populum admoneri quoties et quot rationibus hæc omnia ridicula fieri possint. In Spartanorum civitate per longam annorum seriem spectati senes ad ephororum senatorumque dignitatem evehuntur, multaque cum regibus decernunt, nullo populi habito concilio, nullo tumultu apud imperitam multitudinem excitato. Si libertatis amantiores Athenæ talia ferre nequeunt, illos saltem judices creent qui non e plebicolarum nutu pendeant, qui populi studiis ac cupidinibus, ipsi temeritatis expertes, obsistant : tum demum Atticos heliastas ridere desinam.

Cæterum Aristophanes non in *Vespis* tantum judicialem morbum increpuit ; nonne in *Avium* principio quemdam inducit profitentem se, quia perpetuis litibus quotidie implicetur, Athenas deserere[3]. Quod si ejusmodi vitio non reipsa laborassent Athenæ, num eam vocem emittere ausus esset ? Quis apud nos personam comicam ferret dicentem : « Lutetia exeo, quia litibus et calumniis Lutetia nimis abundat ! » Scimus nempe in hac urbe sine litibus facillime vivi.

Consentiunt præterea in exagitandis delatoribus ac *sycophantis* vel clarissimi plebis fautores. Lysias ille, qui Thrasybulum in expellendis triginta viris adjuvit, per istud

---

[1] Æsch., adv. Ctesiph., passim. Imo tota illa adversus Ctesiphontem oratio παρανόμων γραφή dici potest. = [2] Id., ibid. = [3] Aristoph., *Av.*, v. 40.

hominum intestabile genus popularem statum bis eversum esse declarat[1].

Nec quisquam delatoribus ab Aristophane depictis similior est quam Demosthenicus Theocrines, qui judicum inscitia abutitur ut absurdas probet sententias, et pecuniam a placidis civibus molestam litem minitando extorquet[2]. Corruptis quidem jamdudum publicis moribus vixisse Demosthenem fatemur; at nisi Atheniensium animis hæc vitia multo ante insita fuissent, nunquam potuissent in tantum crescere. Merito igitur Aristophanes cives suos periculi admonuit.

Nec fortasse a proposito abhorrebit si, quod fuerit istud hominum genus, poetarum oratorumque testimonia diligentius excutiendo, reperire tentaverimus. Quum in Attica civitate *accusandi* jus cuilibet volenti (τῷ βουλομένῳ)[3] concessum fuerit, nec tamen omnes hujusmodi operi apti essent, si quis id præcipue studebat ut *accusandi* peritus fieret, eorum quos vulgus *sycophantas* vocabat numero statim addebatur. Tum delicta undique perquirere, et subodorari, et ad magistratus deferre; leges evolvere, ut qua parte et quot rationibus violari possent penitus edisceret; populi ingenium et animos inspicere, quo iram ejus ac suspiciones, prout varia temporum fortuna tulisset, in hos illosve certius et acrius accenderet; inimicitias fortiter suscipere; linguam acuere, ne verborum, eorumque præsertim quæ invidiam in reos conflent, unquam sibi copia deficeret; os perfricare, ne ullo unquam accusati

---

[1] Lysias, Περὶ δήμου καταλύσεως, p. 174 (ed. Reiske). = [2] Demosth., adv. Theocr., passim. = [3] Aristoph., *Plut.*, v. 918.

hominis responso perturbaretur; varios argumentandi et ratiocinandi modos pernoscere, quibus levissime peccantem, vel etiam innoxia agentem virum, immane scelus machinari demonstraret.

Nec præmia deerant quæ ad delationem factitandam astutum audacemque civem incitarent. Si quis enim populo persuaserat legum se vindicem esse, et popularis potentiæ custodem, et regnum affectantibus infestum, illius ad se oculos animosque ac suffragia convertebat; primusque ad capessendam rempublicam gradus sæpe fuit litem haud improspere alicui intendisse. Sic enim firmatam jampridem oratoris gratiam vir adhuc ignotus labefactabat; et quum Aristophaneus ille isiciarius Cleonem fastigio deturbare aggreditur, id primum ei minatur, se furta ejus apud judices populumve detecturum[1]. Nonne ipse Themistocles, inter æquales pueros in schola versatus, orationes quibus sodales *accusaret* defenderetve meditari assueverat[2]?

Jam famæ et honoribus accusando partis lucrum sæpe adjiciebatur. Si quis enim in magistratuum ducumque rationibus discutiendis aspera quadam sagacitate insignem se præbuerat, et ut ridiculo Aristophanis verbo utamur, bonæ lucernæ instar, circumfusas istis rebus tenebras probe dispulerat[3], inter illos ærarii patronos ac defensores eligebatur, quos συνηγόρων nomine vocatos, quamdiu publicum illud munus implebant, quotidiana drachma populus, et (si comico credimus)[4] multa pecunia ipsi rei donabant.

Num cujuslibet generis delationes, si modo judicibus

[1] Aristophan., *Equit.*, v. 435-450 = [2] Plut., in *Themist.*, c. 2. = [3] Aristoph., *Ach.*, v. 938. = [4] Id., *Vesp.*, v. 691 et sqq.

probarentur, nummis remunerari civitas Attica soleret, parum compertum habemus; constat certe mercaturam legibus vetitam denuntianti dimidiam ipsius mercis partem assignatam fuisse[1]. Præterea nos Æschines docet infamibus prostituto corpore viris accepta mercede delationem facere per leges non licuisse (μὴ μισθωθὲις συκοφαντείτω)[2]. Vulgo igitur, ut opinor, non gratis laborabant accusationum isti artifices ac fabri; quorum vigilem intentamque legibus ulciscendis industriam præmio carere patria nolebat.

Sed alia quædam erat nefaria via, qua ad divitias sycophantæ grassarentur. Homines enim delationis ac judicii pericula subire, aut pretio se redimere cogebant. Hac arte Cleo et sodales usi, sociis Atheniensium vociferabantur: « Tributum mihi solvite, nisi urbem vestram velitis fulmine nostro subverti[3]. » Statim igitur pavefacti insularum principes exquisitis muneribus delatorum iram placare studebant. Isti autem in quos Demosthenes tam acriter invehitur, Aristogito ac Theocrines, tali artificio vitam sustentabant; imo ingentes sibi opes conflabant, quamvis a populo minima pro meritis præmia se accipere quererentur[4]. Mercatori nempe Miconi accusationem Theocrines intendit, et eum apud magistratum (θεσμοθέτην) jam expostulavit, mercium nempe dimidiam partem appetens. Quum autem causam judicibus probaturum se diffideret, metueretque ne mille drachmis mulctatus falsi criminis pœnam dare cogeretur, mercatorem adiit, quieti ingenii hominem et judi-

---

[1] Demosth., adv. Theocr., c. 1325 (in edit. Væmel. Bibl. Didot inserta). = [2] Æschines, adv. Timarch., c. 21 (in edit. Væmel. Bibl. Did. inserta). = [3] Aristoph., *Vesp.*, v. 671. = [4] Demosth., adv. Theocr., c. 63.

ciorum ac fori timidissimum, qui rem omnem pecunia componere festinavit. Cum nobilissimis oratoribus certamen inire pessimæ notæ delator non audet, Horatiano maledico similis, qui immerentes hospites vexat, canis ignavus adversus lupos. At magistratus adit, quos sorte designatos fuisse scimus, et oratoriæ artis, vel potius forensis versutiæ aliquantum ignaros; a quibus, delationem minitando, vafer ille criminum inventor et rebus augendis tam callidus pecuniam extorquet[1]; metuunt enim ἄρχοντες ne elapso potestatis anno, rei ad judices citentur; vel etiam, antequam ad finem anni devenerint, ab irato populo jubeantur myrteam coronam deponere[2]. Exercituum quoque duces interdum aggreditur sycophanta quos, si pecuniam ipsi recusaverint, maledictis apud populum onerat, nec sterquiliniorum quidem præfecturæ exercendæ aptos profitetur[3].

Quamvis autem grave odium armatus in omnes sycophanta sibi conflaverit, a multis tamen necessarius reipublicæ judicatur; odiosum enim eum, sed vigilem populi canem plerique esse dicunt, et ærarii furibus acerrime allatrantem. Hanc vero laudem istiusmodi hominibus eripere omni ope nititur Demosthenes. « Ne a Sycophantis, clamat, improborum civium numerum vel nequitiam minui credatis; at contra multum augeri. Ærarii enim fures, quum se ab istis inspici intelligant, ingenti pecunia silentium emunt, quam ut solvere possint, furta duplicant, et, tacente sycophanta, impune auferunt[4].

---

[1] Demosth., *adv. Aristogit.*, or I, c. 41 (in edit. Væmel. Bibl. Did. inserta). = [2] Id., adv. Theocr., c. 27 et 28. Hic magistratus videre est a populo corona exutos. = [3] Id., *adv. Aristogit.*, or I, c. 19. = [4] Id., adv. Theoc., c. 61.

Quanta pestis ex illo semine exorta sit, quod exstinguere studebat Aristophanes, clarissimus inter Atticos orator ita vividis coloribus exprimit, ut funestam hanc delatorum imaginem legentis animo semel impressam deleri posse non arbitrer. Quod ridendo comœdiarum scriptor, irascendo Demosthenes et indignando, divinas humanasque leges testando exagitat; et quamvis dicendi genere tantopere inter se differant, mirum in modum de rebus ipsis consentiunt. Nonne enim Aristophaneus Cleo jam se populi canem prædicat, et fidei ac vigilantiæ egregiam speciem delationibus suis obtendit? Quemadmodum autem in *Pluto* sycophanta se non adeo insanire declarat, ut agros arando vel honestam artem colendo victum quæritet[1], ita Demosthenes sycophantam nulli bonæ rei studentem, sed circa forum et tribunalia, viperæ instar vel scorpii, erecto aculeo, reptantem salientemque depingit[2]; ut nos simul Atticæ civitatis misereamur istiusmodi lue tabefactæ, et in sycophantas ira ardeamus, quam vel ipse contemptus male mitiget, et bonos cives amore prosequamur, qui optimatibus vel plebi faventes, feras istas sagittis figere tentaverunt.

Quum autem id universis sycophantis commune sit, ut delationi præcipuam operam impendant, varia tamen illorum genera exstitisse comperio. Sunt enim qui tali arte non ad vivendum utantur, sed ut summum attingant potentiæ ac popularis gratiæ fastigium. Placidum quidem inquilinum et Attici juris inscium, exercendæ facundiæ et calliditatis causa, primum aggrediuntur: mox autem Niciam terrebunt, Thucy-

---

[1] Aristoph., *Plut.*, v. 903. = [2] Demosth., *adv. Aristogit.*, c. 51-52.

didem in exsilium ejicient, ærarium, exercitus, triremes, judicia, conciones arbitrio suo regent ac versabunt[1].

Multi vero tanta sperare non audent, sed Demosthenico Aristogitoni similes, in accusandis rerum publicarum moderatoribus tempus operamque consumunt, et in judicia magis quam in conciones prodire solent, vel si quando suggestum conscenderint, in duces ac magistratus qui minantibus aurum non dederint vociferando debacchantur. Quamvis autem istum Demosthenes dicat inter sycophantas primum et medium et postremum locum obtinere, Theocrines mihi videtur ignavia et pravis artibus Aristogitonem superare. Nunquam enim in concionem ille prodiit, nec ullum populo dedit consilium, sed totus judiciis calumniisque incubuit. Nec tamen se patriæ exitiosum vel inutilem fatetur, ut contra vindicem se legum et popularis imperii columen existimari velit. Olim etiam, occasione arrepta, quamdam reipublicæ partem, quasi angulo latens, regere tentavit. Fratri enim qui magistratum sortitus erat ejusque collegis tam prava suasit, ut irati Athenienses fratrem potestate exuerint, et in quinque alios thesmothetas, nisi ad infimas preces descendissent, pariter sævituri fuerint.

Aliud autem in Aristophanis *Avibus*[2] sycophantarum genus deprehendere licet, qui publico in judiciis munere funguntur, primas tamen in accusationibus partes, ut opinor, agere non sustinent. Reos nempe ex insulis Athenas judicandos vocant, et apparitorum officia (κλητήρων) potius quam accusantium (κατηγόρων) implere videntur[3]. At dum

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 347 et sqq. — V. 358. = [2] Aristoph., *Av.*, v. 1410 et sqq. = [3] Id., ibid., v. 1422 (κλητὴρ νησιωτικός). Vide etiam Suid. et Hesych., in verbo κλητήρ.

cunt redeuntque, turbinis more a pueris concitati, litium materiam quærere et consuere student, quas fortasse dicendi peritioribus tradant. Illi igitur delationi quoque operam dant, et patrium iis avitumque artificium est sycophantas agere. Vix autem miserum peregrinum detulerunt, Athenisque damnandum præparavere, quum in insulam ipsi regrediuntur, rei bona invasuri, quorum aliquam partem tot laborum, indagationum, itinerumque præmium accipient.

Nec raro sycophantis accidebat ut civilibus procellis, vel inimicorum odio, vel improspera accusatione, vel quolibet casu, procul a foro in ingratum ipsis otium rejicerentur; tum quæsita per longa judiciorum certamina calliditate privatis viris prodesse tentabant, et mercede ab iis concessa vivere. Quum dives et rerum forensium inscius Crito plurimorum invidiæ ac delationibus obnoxium se apud Socratem quereretur, vir ille sapiens, et amicis, ut ait Xenopho, tam utilis, pauperem ei Archedemum commendavit, a quo adversus circumvolitantes insidiantesve sycophantas defenderetur[1]; ipsum vero Archedemum delatorum turbæ Aristophanes et græci ejus interpretes adscribunt[2].

Sycophantis unde ipsum nomen obtigerit, et vulgatam illam de vetita ficuum mercatura historiam revolvere supersedebo; at eos non in comœdia tantum, vel in sermonibus, vel in contumeliosis iratisque reorum oratorumve querelis ita vocatos fuisse crediderim; nam illud Æschinis quod supra citavimus verbum (μὴ μισθωθεὶς συκοφαντείτω) e lege

---

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. II, c. 9. = [2] Aristoph., et schol., in *Ran.*, v. 418.

excerptum esse videtur. Sycophantarum igitur et nomen et munus non leges notaverunt, sed ipse populus, qui quotidie malas istorum artes, et structas insontibus insidias, et avidum pecuniæ animum aspiciebat et indignabatur. Cæterum legitimo ac prope sancto accusandi jure abutentibus pœnæ irrogatæ erant : his enim συκοφαντίας δίκην intendere poterant falso insimulati, et quum quintæ judicum parti crimen probare nequiverat accusator, mille drachmis mulctabatur. At præmiorum et lucri spe, ut vidimus, magis incitari delatores quam castigationis metu deterreri solebant.

Nunc autem ad poetam redeamus, ut admiremur quam festive popularium judicum, apud quos sycophantæ tantum valebant, stultitiam depinxerit. Unum inter omnes, ut comicorum mos est, ultra etiam quam quod credibile est judiciali dementia correptum effinxit, ejus autem collegas iisdem prope furiis accensos, et iracundiam facilesque suspiciones perpetuamque diffidentiam aculeis, quos vesparum ritu gerunt, indicantes. Id enim Attico judici insitum est, ut omnibus rebus hominibusque diffidat, et quemcumque arbitratus erit publicæ libertati insidiari, vel ipsa gloria ac virtute nocere posse, sævis pœnis afficiat. Conflato præsertim Peloponnesiaco bello quod optimatibus displicere nemo non nesciebat, acrius fervere suspiciones cœperunt; nihil nisi proditionem et initam cum hostibus societatem populus somniare; hæc discordiæ semina delatores fovere et criminibus spargendis omnia miscere gaudebant. Quod quidem Aristophanes, non sine indignatione, deridet; nec semel aut in una fabula cum delatoribus eum digladiantem videbimus. Si enim, ut grammatici contendunt, ad recreandam confirmandamque vitam comœdia nata est (συνίστησι τὸν βίον), quid comicus magis invisum habeat quam funestos illos quadruplatores qui con-

viviorum lætitiam, liberos sermonum jocos calumniis corrumpunt? Nonne illi vitam humanam turbant ac dissolvunt (καταλύουσι τὸν βίον)[1]? « Ne laternæ ellychnium emas; id enim ad incendenda navalia emptum delator disputabit; ne Chalcidico poculo vinum bibas: Chalcidensium enim fidem a te tentari vociferabitur Cleo. » Hæc jam in *Acharnensibus Equitibus*que[2], et multa alia in cæteris fabulis: in *Vespis* autem inter scurriles de his suspicionibus jocos, generosa emicat optimi et bene cordati civis ira : « Omnia, exclamat, nos tyrannidem et conjurationem vocamus, seu majus seu minus quis alicui crimen intentat; tyrannidis vero nomen his quinque annis non audiveram : nunc salsamentis vilius est et per totum forum vagatur; nunc si quis innocuus delicatiores pisciculos emit. torvis oculis venditrix eum intuens : Tyrannicum, inquit, olet tua culina[3]. »

Sed longævum et dementem judicem audiamus. Quanta superbia conditionis suæ commoda prædicat! « Rex sum, inquit, et regali obsequio me colunt omnes; mihi ad genua procumbunt ærarii fures, et manum amice tangentes palpantur[4]. » Venalitatem, ut vides, non notat Aristophanes; judices enim tam numerosos auro corrumpere difficile est. Solus Cleo, vel potentes illi oratores, qui populi animos et ærarii claves arbitrio suo moderantur, pecuniam illis promittere, et pecunia eos promissa regere possunt[5]. Sed universis judicibus nullo sumptu adulari Theorus et Cleonymus callent: nec mirum si Heliææ veteranum Philocleonem, ira-

---

[1] *De Comœdia*, in proœmiis, edit a Dubner, in Bibl. Did. = [2] Aristoph., *Ach.*, v. 915 et sqq. et *Eq.*, v. 40. = [3] Id., *Vesp.*, v. 488-499. = [4] Id., ibid., v. 550 et sqq. = [5] Id., ibid., v. 596 et sqq.

cundia et asperitate famosum, humiliore ac fœdiore obsequio demulcent. Aliis verba melle dulciora effundit Theorus; « huic vero spongia abstergit calceos et pice illinit[1]. »

Adde tyrannica judicum jura, quibus et æquitas et leges interdum turpiter ac nefarie cedere coguntur. Nonne orbam patre puellam, amisso patris testamento et sub sigillis magna cum reverentia relicto, cuilibet adolescenti tradunt? Nec facti rationem tanquam alii magistratus reddere jubentur[2].

Non superbiæ tantum suæ judicando senex indulget Heliasta. Sunt alia jura quibus senilis viri libido delectetur : convincendis furibus vel proditoribus fessum pueri ad probandam ætatem sexumve nudati recreant[3]. Sed Attica ingenia liberaliorem interdum voluptatem reposcunt. Quam dulce est urbani disertique rei facetam orationem audire, vel causam exquisitis defensam argumentis[4]! Tunc in Beatorum insulis judicare sibi videtur Heliastarum chorus[5]. Nec ullas Musarum delicias negligunt; ea conditione tragœdum absolvunt, ut pulcherrimum *Niobes* fragmentum recitet; tibicinem jubent egredientibus sibi splendidissimos modos accinere[6].

Quid autem quum domum redux omnes sibi obviam occurrere senex videt? Quum conjugis et filiolæ blanditias, trium obolorum causa, accipit[7]? Vel quum ira accensus in tribunali, Jovis instar, fulgurat et potentissimum ac ditissimum

---

[1] Aristoph., *Vesp.*, v. 598 et sqq. = [2] Id., ibid., v. 583 et sqq. = [3] Id., ibid., v. 578. = [4] Id., ibid., v. 565 et sqq = [5] Id., ibid., v. 610 et sqq. = [6] Id., ibid., v. 579-582. = [7] Id., ibid., v. 605-612.

quemque incredibili terrore complet? Quis judice felicior, quem vicissim homines tantopere diligunt et horrent[1]?

At illius superbiam cito retundit Aristophanes et delicias paucis tantum verbis corrumpit. Quantum videlicet pecuniæ quotannis in Atticum ærarium influit? Talentorum duo millia[2], quorum judices, triplici obolo quotidie donati, vix decimam partem accipiunt. Reliquum vero quorsum abit[3]? Ad oratores nempe ac plebicolas. Judices quidem, et præsertim Heliastas, loquaces isti rabulæ non amore vel reverentia moti colunt et demulcent, sed canum instar pascunt servantque, quos in adversarios nutu immittant[4]. O fœdam servitutem exspectantium mercedem judicum, quam Cleo cum impudicis satellitibus guttatim distillat, publica ipse pecunia repletus et subditorum oneratus donis[5]. Quoties patrocinium alicujus urbis suscipit Cleonymus, integram fert drachmam, et cum collegis reorum munera dividens, totum negotium arbitrio suo tractat et decernit[6]. Sive serius, sive ocius ad tribunal veniat, mercede non mulctabitur; si quis vero judex hora indicta non adfuerit, tres obolos cinædus orator illi recusare audet.

Quomodo igitur his nummulis libertatem dignitatemque suam venumdare sustinet Atticus judex? Si populum, id est civium viginti millia, plebicolæ alere vellent, ex tot urbium tributis delicias illis et varia crepundiarum genera facile suppeditarent; nunc autem omnia fere sibi reservantes perpauca misellis distribuunt : « Illum, inquit poeta, velut

[1] Aristoph., *Vesp.*, v. 619-630. = [2] Id., ibid., v. 660-663. = [3] Id., ibid., v. 665-667. = [4] Id., ibid., v. 705. = [5] Id., ibid., v. 702. = [6] Id., ibid., v. 686-694.

olivarum collectores, comitamini, qui mercedem manu tenet[1]. »

Facetam mehercule sententiam, et quæ multitudinis adulatoribus ac ducibus magnam invidiæ molem conflaret; sed quæ, ut a vero non paulum abhorret, ita si ab imprudentibus arrepta fuisset, civitati magnum attulisset periculum. Fac enim omnes reditus Cleonem, ut ait Aristophanes, cum sodalibus, excepta judiciali mercede, abliguriisse; quomodo unum vel annum constitisset respublica? Unde igitur tot classes, tot exercitus ornati, tot ædificia vel erecta vel conservata? Unde tot festis sumptus suppeditatus est? Præterea, si populus Atheniensis, ab Aristophane monitus, erepta oratoribus urbium tributa sibi dividi voluisset, et se sociorum impensa, otio ac deliciis indulgere, nonne alteram comœdiam noster composuisset, qua talis dementia argueretur? Atqui ex illa Bdelycleonis sententia id consilium exortum esset.

At cum Aristophane æquius agendum est, nec ipse quidquid ex acerbis illis facetiis unus aut alter spectantium colligere posset diligenti semper cura perpendit. Hic nempe satis habuit si plebicolis immanes ac portentosas rapinas imputando, in vera eorum furta populum intentum efficeret, ac mercedis istius quam pauperibus Heliastis ditati ex ærario oratores distribuebant fastidium civibus injiceret. Quid superest insanabilem illum judicandi morbum curare tentanti, nisi ut accusationes, per quas populus sese tutiorem fieri credit, insigni infamia notet? Quod quidem in duorum canum jurgio lepidissime perfecit; hic enim accu-

---

[1] Aristoph., *Vesp.*, v. 709-712.

sator canis mirabili impudentia fatetur[1] se id imprimis indignari quod sodalis pinguissimum caseum, solus, et nulla secum parte communicata, voraverit. Ne igitur delatores amplis præmiis decoretis, o Athenienses; non enim quod ærarium expilatum est irascuntur, sed quod ab æmulo rapinarum particulam non impetrarunt : vel si delatoribus opus est ut furta manifestentur, quid de illa civitate existimandum in qua non boni viri improbos investigant ac deferunt, sed improbi viri præmiis afficiendi sunt ut conscios scelerum interdum detegere velint ?

§ 5. — *De Pace.*

Hæc Aristophanes cives suos edocet, fortiter, ut solet, et Cleonis plebicolarumque iram lacessens; ne miremur ergo si toties a civibus petit ut publicæ utilitatis defensorem diligentius protegant. Apertam vero primis fabulis viam usque ad extremum secutus est; pacem cum Græcis feriendam suasit, et popularis reipublicæ vitia incredibili simul vi ac lepore descripsit.

Quum Cleonis artibus ac violentia bellum in perpetuum trahi videretur, arctius in dies Aristophanes agricolis adhæsit, qui, si Xenophonti credimus, optimatum manifestissimo fautori, de bello eadem quæ ditissimi cives metuebant cupiebantque[2]. Hoc fragmenta testantur ex amissa fabula quæ *Agricolæ* (Γεωργοί) inscripta erat[3]; in altera comœdia,

---

[1] Aristoph., *Vesp.*, v. 895-897. = [2] Xenoph., *De Rep. Ath.*, c. 2. = [3] Stob., περὶ εἰρήνης fr. γεωργῶν laudat ; carmen scilicet in pacis honorem.

cui Ὀλκάδες vel *Naves onerariæ* nomen erat, forsitan demonstrare tentavit maritimo commercio non pauciora damna quam agrorum culturæ inferri[1]. Quum tandem Cleone mortuo pacis ac rusticationis spes certior optimatibus ac populo affulsit, nova comœdia jam prope victricem Niciæ causam defendit Aristophanes.

In hac igitur *Pace*, quam Græcorum carminum studiosi peculiari semper amore fovebunt, finiendi belli delicias tam dulci cantu celebravit, ut eas nondum celebravisse videretur. Hic belli causas non eodem prorsus modo refert atque in *Acharnensibus*. Periclem quidem tot malorum auctorem esse iterum arguit; sed trium meretricum fabulam omittens, graviora et tanto viro honestiora commemorat: Phidia nempe, egregio artifice, in exsilium acto, similem eum timuisse pœnam, et ut iratos animos a se averteret, vel ut necessarium se civitati faceret, bellum conflavisse[2].

Nec in *Pace* velut in *Acharnensibus* Lacedæmonii culpa vacant; eorum enim potentissimum quemque civem, turpi quæstus amore impulsum et a rebellibus Athenarum sociis corruptum esse contendit Aristophanes[3]; mox, ut sperare par erat, omnem iram in exsecrandos oratores convertens, populum Atheniensem ab iis venumdatum depingit, et frustra uvarum ficuumque desiderio enectum; pro pomis enim ac pane calumnias et delationes miseris oratoribus apponebant, quibus illi, omnium rerum egentes, avide pascebantur[4].

---

[1] Arg., *Pacis* in cod. Veneto. = [2] Aristoph., in *Pac.*, v. 605-611. = [3] Id., ibid., v. 622-624. = [4] Id., ibid., v. 635-643.

Quum vero ultima conari decuit ut pax inclusa speluncæ liberaretur, quis bona fide in id incubuit? Num Megarenses illi, quos injuste vexatos in priore fabula doluimus? At ipsi bello accendendo non pauca contulerunt, et nunc pacem icere, quamvis fame semianimes, dubitant. Num Laconenes? Eorum scilicet quicumque agros colunt paci favent. non cæteri. Num Athenienses? At litibus tantum intentos animos habent. Num Argivi? Sed ambobus societatem promittentes, neutris fidem servare cupiunt. Qui ergo mortalium? Agricolæ; soli enim illi rem libenter amplectuntur; soli, a vindemiatore ducti, liberatæ pacis decus obtinebunt[1].

Hæc fabula, si grammatico cuidam credimus, Alcæo summum magistratum gerente acta fuit, eo ipso tempore, quo fœdus Niciæ et optimates feriendum curaverunt [2]. Decimus tum desiit ab incepto bello annus (ante J. C. 421); miraremur ergo quod almam pacis deam *tredecim annos* absentem salutat bonus ille vindemiator, nisi ab eodem grammatico doceremur duas Aristophanis comœdias sub eodem titulo in scenam productas esse. [3] Neque huic soli fabulæ id evenit: quem enim *Plutum* nunc habemus multa indicia probant ex duabus editionibus mixtum et temperatum fuisse. Libenter igitur credam (quod nulla res, nullius scriptoris auctoritas credi vetat), jam labantibus Niciæ induciis suam ab Aristophane comœdiam leviter renovatam et populo spectanti propositam fuisse. Quid tentaverit Nicias ut proprium opus Alcibiadis artibus Argivorumque ambitione concussum tueretur, Thucydides et Plutarchus nobis narra-

[1] Aristoph., *Pac*, v. 175-501. — [2] Arg. *Pac.* ab anon. — [3] Arg. *Pac.*

verunt[1]. Aristophanes quoque recentem adhuc pacem, sed post biennium jam prope violatam restituere conatus est.

§ 6. — *De Avibus et Lysistrata.*

Vicit tamen in frangendo fœdere Alcibiades ille quem obiter in *Acharnensibus* et *Vespis* et novissima fabula perstrinxit Aristophanes, quem forsitan in amissa comœdia *Triphalete* ob libidines infamavit; cui nullus fere comicus pepercisse videtur[2]. Ad Siculam expeditionem cæcatus furore quodam ruit populus; dum vero Demostratus Buzyges, Diis hominibusque invisus, necessarias bello triremes et omnem apparatum vociferans recenset, indignatur Aristophanes et Cholozygis cognomen, ab altero comico, Eupolide, excogitatum, populari rabulæ iterum iterumque imponit[3]. Quum profecta classis et Siciliæ littus appulsura fato suo occurrit, intestinas civitatis pestes, delatores scilicet, judiciorum calumniarumque studiosos homines, oraculorum cantores et omne circulatorum genus in *Avibus* noster exgitat: quum afflicta in syracusano portu Athenarum potentia, occupato Deceliæ castello, et externis auxiliis deficientibus, pacem rursus prudentissimi cives exoptarunt, novum pacis patrocinium suscepit (annno ante J. C. 412).

Prodiit in scenam illa *Lysistrata*, quæ inter tot voces ac gestus scurrili lascivia fœdos, egregium sapientissimumque

---

[1] Thuc., L. V, c. 46. — Plut. in *Nic.*, c. 10. = [2] *Triphal.*, in frag. Aristoph., a Did. editis. = [3] Aristophan., *Lys.*, v. 391-397. — Scol. Aristoph., ad v. 397.

patriæ et Græciæ totius amorem exprimit. « Vobis, inquit, irascor, o Græci, quod, licet eadem aqua lustrali aras conspergatis, Olympiam, Pylum, Delphos fraterna celebritate frequentantes, quumque non desint hostes barbari, tamen infestis exercitibus Græcos et eorum urbes pessumdatis[1]. » Nonne Cimonem hic agnoscimus, qui Athenienses quidem turpi veterno torpere vetuit, sed Asiam et subjectas barbaro regi insulas bellicoso æstu ferventibus designabat? Nonne Aristophanem probamus quod optimi consilii auctor est, et simul admiramur quod plena religione sententia protervo nuper impudicoque scurræ sine ullo conatu et quasi sponte sua in mentem subire videtur? Nec religionem tantummodo communiumque Deorum fidem inrocat; mutuorum etiam renovat officiorum memoriam, et Athenas a Pisistratidarum tyrannide liberatas, Spartam a Cimone cum quatuor millibus armatis servatam celebrat[2]. Qua igitur intemperie agitatæ gentes tot vincula rumpere student? Cur de conditionibus pacis, vel Pylo, vel Echiunte, vel Megaricis mœnibus restituendis tam subtilia disputant[3]? Multo præstet facili animo mutua sibi concedere, manibusque amice conjunctis, sese invicem ad læta convivia vocare. Tum utriusque civitatis proprios communesque Deos cantabimus, et ea quæ meminisse dulce ac decorum est, devictos a Miltiade et tardatos a Leonida Persas, barbaricamque superbiam græca virtute semper retusam. Hos enim in cantus Lysistratæ fabula desiit; his sese Cimonis sectatorem, Athenarum et totius Græciæ gratissimum alum-

---

[1] Aristoph., *Lys.*, v. 1128 et sqq. = [2] Id., ibid., v. 1143-1145. = [3] Id., ibid., v. 1163-1170.

num, egregium denique lyricæ Musæ famulum, et tragœdiarum scriptoribus chori sublimitate haud imparem præbet Aristophanes.

§ 7. — *De Cereris pervigilio et Ranis mulierum concione.*

Jam vero ad ea tempora pervenimus quæ nobis tot comœdiarum, quas Aristophanes et alii poetæ plebicolarum insectatores scripserant, vehementissimum injiciant desiderium. Vicesimo enim belli anno, publicis malis exasperati optimates rerum potiri conantur, cives sermonibus sibi conciliant, vel terrore injecto silere cogunt, et quadringentis viris infinitam credunt potestatem.

Hæc Aristophani displicuisse videntur; Pisandrum enim, hujus mutationis auctorem ac ducem, pecuniæ causa res turbare declarat[1], Charmino, qui Samiorum optimatum fautoribus auxilium ferens Hyperbolum exsulem interfecit[2], cladem paulo ante navali pugna acceptam exprobrat[3]; Phrynichum et Theramenem, quorum alter optimatibus primo, plebi deinde vel saltem mediocris fortunæ civibus favit, versutiarum et perfidiæ insimulat[4]. Senatoribus denique qui sine ullo certamine quadringentis viris loco cesserunt, ignaviæ notam in *Thesmophoriis* (vel *Cereris pervigilio*) inurit[5].

Quis tamen infitias eat ex Aristophanis comœdiis mu-

---

[1] Aristoph., *Lysistr.*, v. 490.= [2] Thucyd., L. VIII, c. 73. = [3] Aristoph., *Thesmoph.*, v. 804. = [4] Id, *Ran.*, v. 689. — Ibid., v. 967-970. = [5] Id., *Thesmoph.*, v. 808 809. — V. 968-970.

landæ reipublicæ consilium a multis ductum fuisse? Postquam imperio quadringenti viri sese abdicare coacti sunt, stabilem formam, quæ Attico ingenio apta esset, sed popularis reipublicæ incommoda corrigeret, Theramenes et quisquis optimatum vel modestissimus vel usu rerum exercitatissimus erat, civitati imponere tentaverunt. Novæ autem illi reipublicæ quæ fundamenta fuerint a Thucydide accepimus. Civium nempe quinque millibus decreta faciendi jus permissum est, iis scilicet qui arma sibi proprio sumptu parare possent; quisquis præterea quolibet functus munere ullam mercedem caperet diris devoverunt. Tribus ergo obolis, quos tam sæpe luserat Aristophanes, judicum libertas dignitasque non amplius venumdabitur; nemo illis dicere audebit: « Hunc hominem nisi damnaveritis, panem vobis eripiam. » Infima autem plebecula cui tres oboli unicus erant reditus, Ἀθηναίων iste κολοσυρτός, quem publici assentatores sese propugnaturos jurant, e Pnyce excluditur. Ad ditissimos prudentissimosque res redit, quorum vis ac robur in Equitibus constat.

Qui fit igitur ut Aristophanes hos motus non laudet? Si spectantium iram metuit, quos quadringentorum impotentiæ tam cito pertæsum est, cur saltem Therameni non parcit, quo auctore quinque millibus civium respublica commissa est?

At optimatum illi fautores, quos popularia instituta deridendo et adjuverat et forsitan suscitaverat Aristophanes, multa fecerunt quibus comici animum a se abalienarent. Recordemur enim tot nefarias conjuratorum artes, tot insidias ab iis per totam urbem structas; et intentatos ubique optimatum adversariis pugiones, et oppressam multiplici terrore civitatem. Quid tristius, et festivo Aristophanis ingenio

intolerabilius esse poterat? Ipse Thucydides, qui Antiphonte magistro quondam usus, quadringentorum facinora placide et graviter, ut solet, enarrat, et interdum minuit, paucos admodum inter illos publici motus duces bona fide rem suscepisse et verum civitatis amorem privatæ utilitati anteposuisse monstrat. Athenas a quinque millibus civium optime administratas fatetur; Theramenem tamen et Aristocratem Scellii filium popularis gratiæ cupidine adversus quadringentos collegas armatos esse demonstrat[1]. Quid mirum si populum Atheniensem ab istiusmodi viris, privatæ tantum ambitioni servientibus, correctum iri non speravit Aristophanes? Si spectantes admonuit ut cohærentes et implexos inter se malos cives caverent[2], et nefarias dissolverent societates (ἑταιρείας)? Quum primum de mutanda republica consultum est, Aristophanem puto non ipsum consilium improbasse, sed Miltiadis Aristidisque et præteriti nuper seculi memorem, malas artes et violentiam dissuasisse, et ea quæ populi populariumque legum odium manifestius aperirent.

Dicebat enim, ut opinor : « Vigente Aristide, non concionibus plebs excludebatur, sed quum nullam mercedem adhuc in judiciis vel in concione acciperet, civica jura perpetuo exercere non ei licebat. Divitibus ergo, vel saltem honestæ conditionis hominibus, summa rerum permittebatur, dum alios suus labor et quærendi victus necessitas a publicis concionibus plerumque abstrahebat. Ita, nulla vi adhibita, nulla plebis concitata indignatione, a prudentioribus

[1] Thucyd., L. VIII, c. 89. = [2] Aristoph., *Lysist.* v. 577.

respublica gerebatur. Nunc autem multi conciones ac judicia invadunt qui præter tres obolos nil habent unde vescantur ; probi vero ac bene sani cives, quos tres oboli non alliciunt, temerarios istorum tumultus veriti, concionibus sæpe abstinent. Sed agite, optimates, aiebat noster ; populo persuadete, tantis cladibus acceptis, tanto adhuc pondere bellorum premente, hos judiciales concionalesque sumptus, quos toties in theatro derisi, quos novis etiam jocis insector, tandem minuendos esse. Quod ut vobis concessum fuerit, vacuas magis ac magis plebecula conciones occupate, judicia ad vos trahite, quæ pauperes, nulla mercede proposita, curare jam recusabunt. Tunc Aristidem imitati, liberiore vinculo et ob idipsum firmiore socias urbes huic jungetis. Ita ad pristinum statum, tam florentem prudentemque, e nostris ineptiis redibimus.

« Hunc vero, non vetera tantum reipublicæ instituta repetendo, vel recentiora Periclis et Cleonis decreta abolendo, restituemus ; priscis enim moribus, priscis animis nobis opus est. Sed inter tot cives qui vos ad populi potentiam dissolvendam hortantur, quotusquisque antiquos mores refert, antiquum animum gerit, sophistarum argutiis, disputationibus, impietati denique inviolatum ? Num Antiphon iste, qui ab omnibus Rhamnusius sophista vocatur ? Num Theramenes, qui a Prodico Cœo et a Socrate fuit educatus ? »

Id enim præcipue Aristophanes studuit, ut civibus probaret res publicas privatasque nulla ratione melius agi posse, quam si *majorum ritu* tractarentur, si de religione ac moribus traditi a patribus servarentur sensus. Nulli vero magis quam sophistæ mores antiquos et veterum Deorum fidem labefactabant. Quod si omnes optimates in Aristophanis cæterorumque comicorum sententiam descendissent, quan-

tum accessisset huic factioni robur ! At paucissimi fuerunt qui unanimo consensu novas disciplinas repudiarent. Hinc intestina optimatum dissidia ; hinc Aristophanes tot popularis potentiæ ac temeritatis adversarios, ipse plebis acerrimus castigator, lacessit, et novæ reipublicæ auctoribus parum favet. Quum tamen eos pertinax multitudinis ira insectaretur, multos eorum reputavit publicis malis remedia sincero animo primum quæsivisse, mox autem ducum fallaciis irretitos, in errores, imo in delicta transversos agi cœpisse. Illis ergo veniam a populo flagitat, et ipsa pericula patriæ testatus quæ cives inter se dissentire non patiuntur, magnanimam suadet præteritarum rerum oblivionem, atque ita optimum civilis victoriæ usum in *Ranis* docet [1]. Hos tantum implacabili odio exagitat qui post tot clades insidiari vel furere perseverant ; Cleophontem in primis, qui insana oratione debacchatus, fœdus cum Lacedæmoniis jam prope ictum turbavit : et idem ille Aristophanes, qui veteri in peregrinos odio paulum remisso, benignos Athenis hospites civium numero adscribendos nuper suaserat [2], hic Cleophontem ac socios in barbaram patriam fugere jubet [3].

Mox triginta tyranni quadringentorum immanitatem superant ; quos, ut puto, nullus comicus, recepta per Thrasybulum libertate, excusare tentavit : quippe ne Xenophon quidem, optimatum studiosissimus fautor, eorum delicta extenuat [4]. Aristophanes, quamvis intestabiles viros nullo desiderio prosequatur, populum in sua jura restitutum temeritatis suæ admonere non desistit, et tentatas undique ad

[1] Aristoph., *Ran.*, v. 687. = [2] Id., *Lysistr.*, v. 580. = [3] Id., *Ran.*, v. 1532. = [4] Xenoph., *Hellen.*, L. II, c.

civitatem reparandam vias, decretaque intra paucos dies lata vicissim et sublata, in *Mulierum concione* irridet [1]. Ita in summa lascivientis ingenii libertate, eamdem rationem pertinaciter amplectitur [2].

Sed quibus dissidiis in plurimas factiones scissæ fuerint optimatum partes jam enarrare tempus est.

---

[1] Aristoph., *Eccl.* passim sed præcipue in vers. 797 - 798, et 812-814. = [2] Aristophanem fateor in *Ranis* (v. 1463-1465), de bello gerendo eadem suasisse quæ Pericles quondam Atheniensibus approbaverat; sed quum, repudiata toties honestæ pacis opportunitate, nihil jam superesset, nisi ut fortiter decertaretur, recte Aristophanes certissimum hostes vincendi modum civibus in mentem revocavit. Cæterum in hoc ipso ejusdem comœdiæ loco, judicialem mercedem acriter vituperat, et quantum reipublicæ periculum servatus in civitate offerat Alcibiades, poeticis quidem, sed plane perspicuis verbis significat.

CAPUT QUINTUM.

DE ILLO NOVARUM DISCIPLINARUM STUDIO, QUOD OPTIMATUM DEFENSORES IN PLURIMA CASTRA DIVIDIT. — DE SOPHISTIS, AB ARISTOPHANE EXAGITATIS.

Jam diu ante Periclis ætatem ea Græci scrutari cœperant quæ animum nostrum maxima discendi cupidine incendunt. Nempe principia rerum, et mundi structuram, et domesticæ ac publicæ vitæ regulas investigaverant. Illa vero tempestate philosophiam adhuc paucissimi colebant; et egregiorum virorum auctoritati quos sapientium nomine decorabant omnes, ita docilem sese multitudo præbebat, ut interdum iis scribendas civitatum leges permitteret. Græcas gentes religio moderabatur, et illæ vivendi normæ quas conscius sui animus agnoscit; legum vero latores, nulla disputatione, nullis argumentis usi, religionem æternasque leges decretis suis confirmare conabantur. Suggestum in foro conscendere omnibus licebat; non tamen omnes, sed summi ingenio viri, vel matura ætate et longo rerum usu commendati illuc accedere audebant[1], et convocatus populus, quamvis sententiarum ac verborum

[1] Æschin., in *Ctesiph.*, c. 1.

impetu et splendore moveri posset, integram ab oratoribus in dicendo gravitatem dignitatemque servari volebat [1]. Prisci denique Græci omnia auctoritatis genera verebantur; Deos esse, qui humana curarent; quosdam præstantiores sapientia et mentis acumine viros eminere, quos reliqui homines, servili quidem obsequio remoto, placidi saltem et attenti audire deberent; jus et injuriam, virtutem ac vitium merito discerni, fatebantur.

At in eodem statu manere animi non potuerunt; ætas tandem incepit qua homines omnia vulgo et audacter scrutari tentaverunt. Tum philosophiæ studium latius in dies diffunditur; in omnibus Græciæ partibus et coloniis, plurimi exsistunt, qui res et rerum notiones intenta mentis acie perspicere conentur, veterum opinionum auctoritate vel ipsis religionibus minus minusque deterriti. Alius orbis universi ortum ac leges explicare tentat, alius ratiocinandi et intelligendi modos ac regulas notat, alius denique quid in iis veri sit quæ de moribus ac vivendi ratione hactenus credita sunt inquirit. Si qui inter eos omnibus his doctrinis pariter eminere gaudent, *Sophistarum* nomen induunt. Sed alia meditandi materia, alia mentis exercitatio, discendi simul et imperandi cupidis hoc tempore proponebatur. In Græcis enim civitatibus, et præsertim Athenis, nil, nisi dicendo, consequi possunt homines: honores, dignitates, gratia, divitiæ penes eum sunt qui populum oratione delinierit. Illam igitur artem in primis colere

---

[1] Cic., *Brut.*, c. 8. — Plut., *Nic.*, c. 8, sub finem, ubi Plutarchus declarat ante Cleonem vehementiores corporis motus oratoribus prope insolitos fuisse.

expedit, qua gentes non vi, sed persuadendo, ad id adducere valeamus, ut nos ament, nos admirentur, et quodcumque voluerimus perficiant. Si quis nobis obstet inimicus, si peccato admisso, mulctæ vel exsilii, vel mortis periculum subire cogamur, quomodo ex his angustiis evademus? Callida scilicet oratione, qua audita, adversarium peccare, nos autem omni delicto vacuos esse cives opinentur. In hoc maxima versatur utilitas; hinc potentes in republica fiemus. Quum igitur undique Athenas affluant sophistæ, non spe tantum rerum naturæ recludendæ homines ad se alliciunt, sed illis pollicentur, ubi eloquentiæ et argumentorum telis armati fuerint, nil impervium vel inaccessum in vita fore [1].

Ad hos promissores incredibilis juvenum turba concurrit; neque exspectationem fefellerunt: qua enim arte contrariis inter se opinionibus rationis et veri speciem induerent, omnis fere civitas obstupuit. In his quidem disputationibus vel ἐπιδείξεσι quæ coram Atheniensium nobilissimis agebantur, de præsentibus civitatis rebus non disserebant sophistæ; latius enim, ut testatur Philostratus [2], eorum patebant orationes; de Deorum providentia, de justitia ac fortitudine, de rerum natura, vel aliquantisper meditati, vel ex tempore disserebant. Sive igitur ejusmodi res scrutandi cupido juvenem incesserat, sive dicendi facultatem et copiam tantummodo sectabatur, ad hæc spectacula libentis-

---

[1] Vide passim. Aristoph. *Nubes*. et Platon. *Gorg*. et *Hippiam*. — In Gorgia et sub finem Hippiæ, Socratem hortatur sophista ut relicta rerum investigatione, pulchras orationes componere discat, quibus senatorum, judicum, populi mentes perstringere possit, et propriam vitam, rem familiarem, amicosque suos servare. = [2] Philostr., *de Soph.*, proœm.

sime festinabat. Inter illos autem qui Protagoræ, vel Prodici, vel Hippiæ, vel Gorgiæ orationes tanto plausu excipiebant, ipsam quæstionem de qua disputare videbantur sophistæ multi parum curabant : utrum virtus innata esset hominibus, an homines virtutem doceri possent, plane dignoscere non studebant Alcibiades, Critias ac Theramenes isti, imperii quam scientiæ cupidiores; sed postquam tam facilia, tam varia, tam probabilia in utramque partem audierant, optabant ut ipsis contingeret apud populum vel judices quæ sibi utilia forent tam speciose defendere. Cæterum quid de rebus intimo pectore censerent ipsi sophistæ libris interdum exponebant. Tunc illos apparebat dicendi facultate ita abuti esse solitos, ut, quum omnia verbis probabilia fieri posse experti essent, nil prorsus certum ac verum arbitrarentur[1]. Incitati ad omnia disquirenda animi malis primo cupidinibus indulserunt, nec immerito multi senes dolebant quod nova civium ætas antiquas religiones opinionesque excutiebat. Jam de Diis plerique dubitare cœperant, non ut Deum unicum esse profiterentur, sed ut vitam humanam et res omnes sine rectore fluere et vagari crederent[2]. Patriorum Deorum simulacra frangebat Alcibiades, sed comissabundus et in omnes effusus libidines[3]. Quid justitia et virtus essent plurimi disserebant, sed ut justitiam ac virtutem nil præter nomina esse et sibi et aliis persuaderent. Quum Melum insulam violato jure gentium obsident Athenienses, adversus Melios jam non ideo disputant ut injuriam ab

---

[1] Aristot., *de Gorgia.* = [2] Vid. *Crit.* in Bibl. Did. (fragm. tragic. græc.) fragm. 6. = [3] Plut., *Alcib.*, c. 19.

iis in se admissam demonstrent : antiquum enim hoc nimis et obsoletum disputandi genus esset. Nunc a sophistis callide edocti, qua lege res humanæ temperentur miseros vicissim insulanos docent : omnia scilicet vi et utilitati semper obsequi ; hanc vivendi agendique unicam normam esse. Quod si detestandæ opinioni repugnent Melii, sophistica argumentatione audaciores facti Athenienses urbem eorum, quamvis non hostilem, ferro ignique vastare sustinebunt[1]. Quidquid igitur veri antiqua religio et majorum opiniones continebant non mediis ab erroribus ac fabulis evolvere et extricare plerique adolescentium conantur, sed cum manifestis erroribus ac fabulis damnare et negare festinant. Hos fructus vulgata primum philosophia gignit ; qua religio ac mores non emendantur, sed dissolvuntur ac ruunt. Itaque non soli sacerdotes, nec ii tantum quos falsus Deorum cultus pascit, crescentem disputandi, investigandi, scrutandique amorem horrent ac detestantur. Probi viri, ut solet, non desunt, quos talia terreant, quique humanas mentes immotas torpere malint, quam omnia movendo subvertere.

Indignantur item, si Aristophani credimus, quod juvenes nullo rerum usu exercitati, e sophistarum officinis subito prodeuntes, suggestum conscendunt, obeunt judicia, subtilitate dicendi adversarios supplantare et decreta sibi solis utilia populo approbare callent.[2] Haud aliter, vergente jam ad finem octavo decimo post Christum natum seculo, irascebantur probi viri quod philosophiæ speciem tot te-

---

[1] Thuc., L. V, c. 84-113. = [2] Aristot., loc. citat. *Acharn.* 675-685. — *Eq.* 1374-1382

merarii homines sibi induebant, non sacerdotum modo vitia vulgive superstitionem, sed sanctissima religionis præcepta aggressi; quumque innumeros libros in lucem prodire viderent, ubi Deum non esse et animum cum corpore exstingui dedita voluptatibus cohors contenderet, Gallicam gentem ad exitium præcipitem currere clamitabant : non providebant enim ex hoc animorum motu multa bona ortura esse; multos quidem errores ac pravas leges quasi turbulento torrente abreptum iri; at, placato tumultu, tot mixta incompositæ illi philosophiæ portenta, tot impiorum hominum declamationes contemptui ac ludibrio fore.

Non miror igitur, nec irascor, si falsam impuramque religionem, impietatis metu, defenderunt optimi Athenarum cives. Anaxagoram, qui sublimi doctrina religionem ipsam cæterorumque philosophorum opiniones corrigere potuisset, si Periclis amicitia perdidit, Periclis quidem adversarios detestor; non tamen persuasum habeo publicis partium studiis vel privatæ utilitati omnes ejus accusatores indulsisse : tempore enim opus erat, ut pura illa de divina mente opinio plane intelligeretur; id solum primo perspexerunt omnes, patriorum numinum cultum hac imminutum fore.

Cæterum erga sophistas quid agendum esset Athenienses diu dubitaverunt. Ab alio forsitan populo, Spartanis scilicet Bœotisve, id genus hominum negligi potuisset; sed Atticis non tam gravia, vel si mavis, tam pinguia ingenia erant, ut egregii varietate doctrinæ et inexhausta facundia viri nullius in urbe mentem ad se converterent. Aliud vero consilium quibusdam optimum videbatur; hujusmodi scilicet homines, velut majorum religioni, moribus et institutis infestos, expellere : quod quidem Anaxagoras passus erat. Fieri denique

poterat ut novos illos animorum motus, novam illam discendi ac disputandi cupidinem nonnulli fôverent, et ex tot investigationibus, tantoque sententiarum et opinionum certamine, utilem omnibus certissimamque doctrinam elicerent. Quod quidem illi tentaverunt, qui sincero animo altissima rerum principia scrutari non destitere, ob eamque causam philosophorum nomen etiam apud posteros obtinent.

Optimates vero ea de re non idem omnes senserunt. Fuere enim qui imperii cupidine accensi, sophistarum ideo adierint scholas, ut inde rerum verborumque copia instructi in publica certamina prodirent; quumque dicendi vi et eximia prudentia multitudinem sibi conciliare non potuissent, temerariam illam et rudem Atticæ plebis turbam summo contemptui et odio habere cœperint : hanc viam Rhamnusius Antiphon secutus est, et sævissimæ optimatum factioni sese adjunxit. Alii antiquos mores ac sensus obstinato animo defendentes, philosophicas illas rhetoricasque disputationes funestissimas civitati pestes esse judicaverunt, et quamprimum exstinguendas.

Hoc Aristophanes et vetus omnis comœdia recinit; hoc novarum argutiarum odio accensi poetæ quisquis sophistarum, rhetorum, physicorumve commercio sese infici passus est, eum sive popularem reipublicæ statum foveat, sive optimatibus adnumerandus sit, acerrime insectantur. Ergo inter homines qui de rebus publicis facile consentiant asperum certamen exoritur, quum alii novos mores ac sensus vel temere, vel privata utilitate ducti, amplecti gaudeant; alii optimum ac certissimum quidque ex his novis eligere velint, alii autem patrios ritus, patria instituta, patriam virtutem ac simplicitatem defendere perseverent. Cur antiquos mores tuendos comœdia susceperit ulterius disquirere statuimus;

nunc quomodo adversus novarum opinionum amatores certaverit intueamur.

Ex iis quæ supersunt fabulis fragmentisve, non Protagoram, non Gorgiam Hippiamve, non alios sophisticæ artis peregrinos auctores ac principes a comicis præcipue exagitatos fuisse videmus. Fecundam tamen risoribus materiam præbebant conventus illi quos tam lepide Plato philosophus depingit: ubi scilicet Protagoras cum Atticæ juventutis flore in atrio ambulans, admiratione omnium, imo veneratione ac prope divino cultu fruebatur; Hippias autem in sublimi solio, tyranni instar vel sancti simulacri, sedebat, et de rerum natura sciscitantibus augusta fundebat oracula [1]. Hæc forsan Plato comicus in *Sophistis* attigerat, et quæ paucis tantum in conclavi spectare licuisset cunctorum subjecerat oculis [2]. Ex interpretum vero grammaticorumve testimoniis, quæ postea commemorabimus (in octavo nempe hujus operis capite), in Socratem Euripidemque maxime sæviisse comœdiam constat : nec mirum : illi enim non, ut peregrini sophistæ, raris avibus similes, interdum Athenis apparebant; sed ipsa in Attica nati, in foro, in viis, in theatro omnibus occurrebant. Socratem præcipue nemo non viderat. Hos igitur Atheniensium sophistarum principes esse comici finxerunt; hos aliquantisper gravioribus testimoniis descriptos intueri decet, antequam scurrilibus facetiis deformatos aspiciamus.

---

[1] Plat., *Protag.* (initio). — [2] Vide Plat. com. *Soph.* in fragm. com. Bibl. Did. insertis, pag. 244.

CAPUT SEXTUM.

DE SOCRATE.

§ 1. — *Cur eum cum sophistis miscuerit Aristophanes.*

Quæ fuerint Socrati vitæ principia quis ignorat? Nonne in plurimis scriptoribus legimus eum quam potissimum artem coleret primo dubitasse, deinde, postquam Anaxagoram philosophum rhetoremque Damonem audiisset, ea quæ humano generi utilissima putaret scrutari cœpisse : hominum scilicet naturam, recte vivendi leges, ac regendæ civitatis rationem?[1] His nonnulla de Deo et divina providentia addidit, quibus humana natura et humana officia melius noscerentur[2]; at de rebus externis, de cœlo ac terra disputationes procul amovit[3]. Quum paupertas illi, adempta libertate et otio, magnum impedimentum afferre posset, omnibus rebus lætus carere didicit, vel saltem intra necessaria sese continere[4]. Nulli igitur labori ad victum parandum tempus im-

---

[1] Diog. Laert., L. II, in Socrat.— Suid. in voce *Socr.*—Cic., *Acad.*, I, 4. — *Tusc.*, v. 3.— Aristot., *Metaphys.*, L. I, c. 6. = [2] Xenoph., *Memorab.*, I, 4, IV, 4. — Aristot., *Métaphys.*, loc. cit. = [3] Cic., *Acad.*, loc. cit. = [4] Cic., *Tusc.*, v. 32. — Xenoph., *Œcon.*, c. II, et *Memorab.*, L. I, c. 6 (ubi Socrates Antiphonti demonstrat doctrinam, ut amorem, gratuitam esse debere : Antiphon vero illi exprobrat quod nudis pedibus vivat, et vilissimo pallio vilissimisque alimentis utetur).

pendere coactus fuit, et nulla unquam mercede ab auditoribus exacta, liber esse nunquam desiit. Critonem quidem et divites quosdam juvenes illi ita invigilasse ferunt, ut egestate non premeretur[1]; at eorum munera, si qua interdum accepit, facillime simul ac gratissime solvebat mira sermonum suorum jucunditate, et sapientibus illis consiliis quæ Xenophon testatur tam multis, etiam ad rem familiarem moderandam, profuisse[2].

Cum sophistis sæpissime versatus est; ea enim quæ sophistæ magnifico verborum apparatu sese exponere posse gloriabantur, Socrates penitus dignoscere cupiebat. Novo illo animorum ingeniorumque motu impulsus, quid justitia esset, quid fortitudo, quid variæ artes ac doctrinæ, haud raro solus secum scrutatur; mox autem alios eadem meditari cogit. Moveri enim animos et ad res perpendendas accedere optat, nec inerti inscitia torpere patitur; rursus autem temeraria ac futili scientia superbientes, vel fallacis doctrinæ ostentatione captos, ad modestiam prudentiamque redigere tentat. Quoties mira interrogandi subtilitate sophistas aliquid certi secum concludere non cogit, saltem illos perturbat, et eo adducit ut propriis verbis contradicant: tum urbanis simul laudibus oneratos inscitiæque et temeritatis convictos relinquit. Nemo igitur pravis sophistarum argutiis infestior est quam Socrates; qui, si quid veri ex ingenti et prope incondito animorum motu exoriri possit, ad illud excutiendum natus esse videtur. Itaque in sophistis qui scientia et ingenio ad famam, auctoritatem pecuniamque comparandas abutuntur, rationis humanæ pernicies sita est; in Socrate vero salus.

---

[1] Seneca, *De Benef.*, VII, 24. = [2] Xenoph., *Memorab.*, L. II, 7, 9.

Quod quidem nonnulli persenserunt quos sincerus veri amor ad philosophicas rhetoricasque disputationes agebat. Si quem tamen ex Atheniensium turba interrogasses qualis esset Socrates ille « Unus, respondisset, e sophistis. Cum Protagora, Prodico, Antiphonte quotidie disputat, sive ipse disputandi materiam attulerit, sive oblatam ab iis maluerit accipere. De virtutibus ac vitiis omnes interdum pulcherrima, interdum obscura loquuntur quæ nunquam ego intelligam; Socrates vero aliis multo lepidior est; minus enim prolixe perorat; sophistas interrogando sermone sæpius utitur, cui quidem omnis generis res inserit, dum omnes artes recenset, statuarum et ollarum fabros, hominum et boum custodes, tibicines et calceatores usque crepat[1]. »

Id plurimi ex infima plebecula sentiebant; id ipse Aristophanes, qui si voluisset, Socratis disputationes intelligere et prudenti suffragio probare potuisset. At ridiculas sophistarum argutias exosus, simplices majorum mores, antiquam vitam, religionis et bonarum artium auctoritati submissam, commendare statuit. Nec socium in impugnandis sophistis Socratum accepit; quia ille sophistas ratiocinando arguere, non vi vel decretis urbe expellere tentabat. Socratis autem argumenta et sermones non minus nova erant, nec antiquis moribus minus abhorrentia quam sophistarum orationes. Impulsos jam nova cupidine animos ad sanam philosophiam ille hortabatur, prudenti aurigæ

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. I, c. 2. Ibi nempe Charicles et Critias Socratem vetant similitudines ex variis et vilissimis artificiis ducere. Vide etiam in Plat. *Hippia* I, qua indignatione verbum plebeium *ollam* excipiat sophista Socratis adversarius.

similis qui jam divagantes equos non ad carceres stabulumve revocat, sed ad firmiter currendum stimulatos tutissimæ viæ immittit.

Nec tantum privatos juvenum mores corrigebat philosophiæ ille pater, vel de humana divinaque natura sublimiora eos, quamvis usu paulum abhorrentia, scrutari jubebat; sed ad capessendam rempublicam paratiores faciebat aptioresque. Nullum ipse sibi munus, nullum magistratum appetiit, nec publica negotia prius attigit, quam senatoriam dignitatem sortitus esset. Exprobranti tamen Antiphonti[1] quod civitatem regere vel convocatis civibus consilia dare non studet : Utrum melius de patria merear, inquit, rempublicam solus tractando, an *quam plurimos tractandæ pares* efficiendo ?

§ 2. — *Quid de republica censuerit.*

Hic præsertim, si philosophicas disputationes ferre potuisset Aristophanes, cum Socrate facile consensisset. Populi enim temeritatem et eas leges quæ temeritati favent Socrates nunquam probavit. In secundo scilicet commentariorum capite Xenopho accusatorem refert vitio illi dedisse quod patriæ suæ leges et ipse contemneret et alios doceret contemnere. « Hunc morem, inquit Meletus, semper deridebat, quo magistratus ac publica munera cives sortiuntur; nautam nempe vel dispensatorem sorte duci ridiculum dicebat; quanto magis ἄρχοντα judi-

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. I, c. 6 in fine.

cenive ! Ita discipulis adversus popularem rerum statum iram accendebat ; ita illos ad violentiam hortabatur [1]. » Quum autem magistrum Xenophon excusare studeat, posteriorem tantummodo hujus accusationis partem diluit. « Neminem unquam, respondet, ad violentiam impulit Socrates ; at contra, persuasione sola homines regi voluisset [2]. » Qua quidem defensione popularis reipublicæ fautores contenti esse non potuerunt. Socrati enim magistratuum sortitionem parum probatam esse non negat Xenophon ; nullos vero cuiquam stimulos ad nefanda scelera illum addidisse contendit. Cæterum vox quædam Socratis a Diogene Laertio commemorata concessum universis civibus suffragium philosopho nostro non placuisse demonstrat. « Populi opinionem, inquiebat, cur tantopere curamus ? Falsorum nummorum nonne vilis est acervus ? Tot stultorum igitur sententiæ in unum congregatæ quanti valent [3] ? »

Socratem insuper Meletus arguit quod versus illos Homeri usque decantaret, ubi Ulysses exercitus Achaïci principes cum verecundia quadam objurgat, plebeium vero militem aspero sceptro percutit [4]. Hic autem, ut prius, Xenophon non negat versus eos Socratem recitare solitum ; sed qua mente, interpretatur. « Quem Homerus plebeium hominem vocat et inutilem (δήμου ἄνδρα. οὔτ'ἐναρίθμιον), cum philosophus esse putabat, qui prodesse patriæ, quovis loco natus, nequiret. Plebeium vero civem, ideo quia plebeius sit, impune verberari, non vult Socrates, nec ejus ordinis homines op-

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. I, c. 2. = [2] Id., ibid. = [3] Diog. Laert., L. II, in *Socr.* = [4] Xenoph., L. I, c. 2. sub fine. — Homer., *Il.*, L. II, v. 198-205.

primendos judicat. Adde quod per totam vitam omni violentiæ adversum se præbuit, nec ipsorum discipulorum impotentiam placidus perferre potuit [1]. »

Ex iis tamen quæ fatetur Xenophon, et ex illo quem refert Diogenes joco, Atticum magistratus eligendi morem, et jus suffragii tot imperitis concessum Socrati parum placuisse cum Æliano colligamus [2]. Quumque Xenophon et Diogenes illum popularem virum (δημοτικὸν ἄνδρα) vocent, quid sibi velit hoc nomen ne jam dubitemus; Socratem scilicet significaverunt talem fuisse quales in populari rerum statu multos cives esse optandum sit, veris populi commodis æquos, et omni injuriæ, vel ab ipso populo admissæ, resistentes; cæterum eo habitu ac genere vivendi utentes quod ab honesta plebecula minime differat, nec aditu difficiles, nec alloquio superbos.

Inter tot vitia quæ ex Atticis institutis oriebantur, nullum acrius insectatus est Socrates quam temerarium illud popularis gratiæ captandæ studium. Neminem discipulorum patitur, nisi dignus sit, id est patriæ vera officia præstare possit, ad rempublicam accedere. « In populum si quis ideo dominari cupiat, ut propriæ consulat utilitati, imperio plane indignus est: ideo enim magistratus vel dux eligitur, ut subditos sibi homines felices efficiat [3]. » Quisquis autem magistratum gerendo ærarium impune expilare, et socios ac cives vexare, et omnis generis voluptatibus indulgere vult, iniquus est et intestabilis, nec cum aliis unquam concors vivere poterit [4].

---

[1] Xenoph., L. II, c. 2, sub finem. = [2] Ælian., *Hist. var.*, L. III, § 17. = [3] Xenoph., *Memorab.*, L. III, c. 2. = [4] Id., ibid., L. II, c. 6.

Glauconem vero[1], unum ex discipulis, quum publicorum vectigalium ac totius Atticæ rei administrandæ ignarus, populum tamen alloqui paret, de his omnibus interrogat, scrutatur, et inscitiæ convictum a suggestu conscendendo deterret. Alium autem quemdam, qui ducis munus appetit, ad peritum rei militaris magistrum mittit, quumque a Dionysiodoro omnes ordinandi exercitus modos edoctus juvenis redit, rursus eum tentat Socrates, metuens scilicet ne quid necessarii omiserit præceptor. « Frustra enim, inquit, a populo duces eligimur nisi ducis officia implere callemus[2]. »

Ergo equitum magistrum vehementer hortatur ut equos equitesque sibi commissos meliores efficiat[3]; nil enim hoc honore inanius si ex eo gloriola tantum quæritur. Eas autem plurimi dotes facit per quas res omnes optime administrantur, providentiam scilicet, ac regularum observantiam, rectique ordinis amorem. « Privata negotia moderando, publica, inquit, temperare discimus, nec inter bonum dispensatorem bonumque exercitus ducem multum interest[4]. »

Quemadmodum impares regendæ civitati et rerum publicarum inscios homines a suggestu et magistratibus amovet[5], ita alios, quos peritiores judicat, in concionem locuturos prodire jubet. Charmidæ nempe, Glauconis Platonisque propinquo, suadet, ut nimiam illam vincat verecundiam, qua suggestum conscendere vetetur : « Quid metuis, inquit, in populari concione? Num sutores, cerarios, fabros, rusticos,

---

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. III, c. 6. = [2] Id., ibid., L. III, c. 2. = [3] Id., ibid., L. III, c. 3. = [4] Id., ibid., L. III, c. 4. = [5] Id., ibid., L. III, c. 7, in fine.

mercatores, quorum in Pnycem tanta multitudo convenit, prudentiæ et gravitatis expers? Attamen doctissimis prudentissimisque civibus disputando resistere non dubitas, quos etiam sæpe sapientia vincis. Ne inconditam ergo turbam metuas[1]. » Paruit Socrati Charmides, et inter optimatum duces ita eminuit, ut unus ex decem viris fuerit qui in Piræo triginta tyrannis subjecti imperarunt, et pro paucorum dominatione pugnans interierit[2]. In his vero quæ modo retulimus verbis, nonne rursus apparet quam parvi multitudinis peritiam æstimet Socrates? Hujusmodi homines nil recte facere posse arbitratur, nisi doctioribus in omni re obtemperent. Athenienses autem hoc præcipue vitio laborant, quod in bellicis forensibusque negotiis prudentiores audire nolunt, et doctrinæ eximiique ingenii auctoritatem sequi[3], quam quidem Socratis discipuli vel adipisci debent, vel certe mereri. « Non enim ille rex vel magistratus est, qui sceptra gerit, vel *a quibuslibet* electus est, vel sorte designatus, vel vi ac fallacia imperium adeptus, sed qui imperandi artem novit. Nec regentis est quidquid sibi libuerit jubere, sed quæ reipsa facienda sunt[4]. »

Cur autem Socrates Alcibiadis[5] vestigiis tam sedulo instat, et superbum Euthydemum usque in ephippiarii officinam insectatur? Nempe providet eos magnam apud populum gratiam quærere et olim adepturos; qua ne abutantur, publicæ illos utilitatis et peritos simul et studiosos efficere tentat. Non pati potest ut propter pulchritudinem, opulen-

---

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. III, c. 7. = [2] Id., *Hellen.*, L. II, c. 4. = [3] Id., *Memorab.*, L. III, c. 5 (in colloquio Socratis cum Periclis filio) = [4] Id., ibid., L. III, c. 9. = [5] Plat. *Alcib. prior.*

tiam, nobilitatem, externas denique dotes, magna potentia exornetur Alcibiades, nec Euthydemus ob accuratam Homeri poetarumque cognitionem, quæ Atheniensium veræ felicitati tam parum proderit [1].

Sed quum hi juvenes, aliique quos Socrates, civitati bene consulens, instituit et informat, imperio sese dignos effecerint, qua ratione meritam sibi auctoritatem comparabunt? Suadet illis magister ut animis manibusque junctis coeant; nihil enim magis dolet quam quod boni viri inter se dissident, et egregiæ civitates in mutuam perniciem armantur.

Nonne probos homines (proh pudor!) videre est cum malignis oratoribus præ metu coalescentes, et adversus eos quos inimicos habere non deberent, in foro depugnantes [2]. Hæc Socrates mœstus aspicit, nec minus quam ipse Aristophanes indignatur: bonos igitur cives inimicitias deponere jubet.

At postquam probi viri, junctis viribus, potentiam adepti erunt, nihilne mutabunt in Atheniensium republica? Num imperitis illis sutoribus, et fabris, et cauponibus, qui in concione tumultuantur, liberum de omnibus negotiis suffragium relinquent? Num magistratus sorte designari patientur? Quod quidem non facile crediderimus; sed a Socrate ipso hæc nunquam plane explicata fuisse fatebimur. Virtutem ac doctrinam debita auctoritate frui cupit; e certissimis autem ejus sermonibus non apparet eum discipulis unquam suasisse ut leges patrias mutarent. Nunquam dicere

---

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. IV (Colloq. cum Euthydemo). — [2] Id., ibid., L. II, c. 6 (in coll. Socr. cum Crito.)

ausus est optima consilia certius vincere posse, si pars imperita civitatis a rebus publicis arceretur. Quum varia reipublicæ genera enumerat ac distinguit, non committit ut optimorum dominationem eamdem esse quam ditiorum potentiam declaret; nec utramque uno ἀριστοκρατείας nomine decorat. Bonorum enim virorum dominatio ἀριστοκρατεία ab eo vocatur, ditiorum autem πλουτοκρατεία [1]. Ita ergo significat hominum virtutes et ingenia non censu recte æstimari.

Hic vero magna difficultas exoritur. Quo enim indicio probos viros agnoscemus, quum eo nomine sese quisque dignum prædicet? Socrates illos bonos esse declarat ac justos, qui leges observent [2]: « φημὶ ἐγὼ, inquit, τὸ νόμιμον δίκαιον εἶναι. » Quid autem hoc verbo significat? Atticasne leges? Quas quidem observare jam maximum sit et civitati utilissimum. At servandæ reipublicæ hæc legum reverentia non sufficit; sunt enim qui nihil adversus leges populo suadeant, et imprudentissima tamen afferant consilia. Nulla scilicet lege funesta adversus Siciliam expeditio vetabatur. Præterea, ut ait Socratis adversarius, sæpe ab ipsis conditoribus leges immutantur. Quas quidem mutationes bello similes esse noster respondet; et ut arma quamprimum deponi conveniat, ita ad placidum legitimumque reipublicæ statum quam celerrime redeundum esse : at in quo posita sit leges condendi summa auctoritas non aperte definit. Lycurgum

---

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. IV, c. 6 (sub fine.) = [2] Id., ibid., L. IV, c. 4 (Quidquid de Socratico legum observandarum studio hic referimus ex hoc longo Socratis cum Hippia colloquio excerptum est).

laudat quod legibus obsequendi amorem civibus injecerit, et se ipsum profitetur legibus patriis perpetuo parere velle. Illæ autem leges sutorum ac fabrorum multitudini, a Socrate contemptorum, jus suffragii concedunt.

Leges quidem noster esse contendit, quæ a diis ipsis positæ, semper et ubique vigeant, nec impune a quoquam violari possint, quamvis nusquam scriptæ legantur; quisquis autem eas violarit, injustum esse. At plebeii, quorum judicio tam parum fidit Socrates, harum sese legum reverentissimos profitebuntur, æternasque justitiæ regulas non minus sibi quam optimatibus notas esse.

Popularis reipublicæ vitiis quum obviam ire vellent, plurimi legum latores, et ipse Solo, nonnulla jura plebi concessere, omnia autem ditioribus dederunt; non quod virtutem ac doctrinam alias interdum reperiri posse non arbitrabantur, sed in primis civitatis classibus plures doctos ac prudentes esse, et quibus neque otium neque opes ad excolendum ingenium defuissent; quibus etiam sua utilitas, et fortuna, et comparatæ divitiæ modestiam suaderent subitarumque ac vehementiorum mutationum timorem injicerent. Illi igitur legum latores ἀριστοκρατείαν et πλουτοκρατείαν idem esse constituerunt; quas contra Socrates, sapientissimus simul et pauperrimus, penitus discrevit.

Altera via est per quam populus propria imperitia ac temeritate sibi nocere vetetur; nempe si libero ipsius populi suffragio electus vir regnum obtineat. Hæc, ait Socrates, vera est regnandi ratio, a tyrannide ista multum discrepans, quamvis constituit ac tuetur. Hoc regnum persuasioni innixum ita noster probare videtur, ut quam imperatoriam vel *politicam* artem nominamus, regalem sæpius (Βασιλικήν)

nuncupet [1]. Tyrannidem vero exsecratur, et sapientissimo cuique inimicam dicit; tyrannumque, cives vexando, utilibus sociis semetipsum orbare et lethiferos sibi ictus impingere [2].

Quæ commoda subditis præstare potest is qui non omnium suffragio, sed consensu, et antiquis institutis ad solium evectus est, multum mirari videtur Socrates. Locum quidem illum, ubi Persarum regis vigilantia laudatur, non ex vera Socratis opinione descriptum et compositum fuisse diu arbitratus sum, sed a Xenophonte, ex junioris Cyri aula reduce, interfecti patroni laudes ita esse decantatas [3]. Verum apud Platonem, in priore dialogo qui *Alcibiades* vocatur, haud multum discrepantia verba Socrati imputari video : eum igitur concedam, si non Persarum regum mores, at saltem avitas Persici regni leges probavisse.

Num ergo discipulis suasit Socrates ut uni ex ipsis regalem potentiam a volente populo deferendam curarent ? Minime ; nunquam enim, ut supra dixi, quæ sibi Atticæ civitatis forma placeret aperte professus est. Creticam et Laconicam sæpissime rempublicam laudabat, ubi leges constantius observabantur ; et Athenis ejus modi viros informare cupiebat, qui legum observantissimi essent, et inter se concordes, et peritia ac virtute tam nobiles, ut cuncti eis ultro se subjicerent, nulla vi, nullis armis, nullo malarum artium usu coacti. Id, opinor, ad servandas Athenas satis fore judicabat.

---

[1] Xenoph. *Memorab.*, L. IV, c. 6. (sub finem). Hic etiam inter se discernuntur ἀριστοκρατεία et πλουτοκρατεία. = [2] Id., ibid., L. II, c. 2. = [3] Id., ibid., *Œcon.*, c. 4.

De civibus bene speravit Socrates, et eorum vitia, quamvis graviter objurgaret, insanabilia nunquam arbitratus est. In eo nempe colloquio quod cum Periclis filio, teste Xenophonte, habuit, nonne indocilem eorum animum et militaris disciplinæ impatientem vituperat? Quum tamen in reliquis rebus, in pompis scilicet chorisque, in musicorum athletarumque certaminibus ordinandis peritiori libenter obsequantur, sperat eos, si quando prudentes rerum imperatores et militibus bene consulentes habuerint, in bello non minus dicto audientes fore. Quam quidem spem ideo præsertim alit, quod exsequendis diligenter officiis Areopagus sibi omnium admirationem conciliat : non omnis ergo sapientia vel sapientiæ amor Athenis adhuc recessit[1].

Interea quum ab aliis ipse Socrates urgetur ut leges violare velit, consiliis immotus, minisve interritus manet. Furenti adversus Arginusarum duces populo ita repugnat, ut miseros imperatores non servet quidem, proprium vero decus integrum tueatur. Quamvis inter triginta tyrannos non paucos discipulos habuerit, eorum atrocitatem nunquam probare sustinuit ; imo indignantibus cavillando respondit, nec minus molestiarum præbuit quam sophistis[2].

Cæterum in externo ejus habitu nihil eminet quod popularem civitatem offendat. Paupere amictu vestitus et nudis pedibus ambulans, hæc loca sæpissime petit quo plurimi convenire solent; hic quisquis voluerit ad eum accedere potest, et loquentem auscultare. Quod superbum quiddam oculis gerat comici illi exprobrant ; hæc vero superbia, cum

---

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. III, c. 5. = [2] Id., ibid., L. I, c. 2.

tanta vestium ac morum simplicitate conjuncta, nonne magis plebeium redolet, quanti valeat sibi conscium, quam optimatum fautorem [1] ?

§ 3. — *Quid de Diis ac religione censuerit Socrates.*

Jam quid de Diis ac religione censuerit Socrates inquirere omitterem, nisi ad immutandam rempublicam immutata religione sensim cives adducerentur; nisi etiam Aristophanes has exagitandi Socratis causas præ se tulisset. Hic autem magis quam antea dolebimus quod Socrates ipse libris propria manu scriptis quid de tanta re sentiret non exposuit. Quum enim duo præcipui testes vitam ejus et instituta nos doceant, Plato scilicet ac Xenophon, prior quidem ob singularem ingenii vim, ultra fines quibus se magister continuerat sæpissime evolavit. Multi ergo et prudentissimi inter veteres ejus testimonio diffisi sunt : nota est Phædonis historia, in dialogo Platonico cui suum inscribitur nomen, sermones quos ipse cum Socrate habuerat minime agnoscentis [2]; nec Cicero, Platonis constantissimus admirator, certamen Socratis et Gorgiæ, in altero quodam dialogo descriptum, forsitan falsum esse negat [3]. Præterea, si Platoni credimus, judicibus Socrates affirmabat, quod postea Aristoteles de eodem tradidit [4], res divinas ac rerum structuram et principia sese nunquam scrutari. Quam multa tamen in *Phædone*

---

[1] Xenoph., *Memorab.*, L. I, c. 1. Eupol. ab Aristoph. Schol. cit. ad *Nub.* v. 362. = [2] Athen., L. XI, c. 15. = [3] Cicer de Orat., L. III, c. 32. = [4] Aristot., Metaphys., L. I, c. 6. Σωκράτους περὶ τὰ ἠθικὰ πραγματευομένου, περὶ δὲ τῆς φύσεως οὐθέν.

moriturus Socrates de terræ situ et coloribus conjicit! Quam multa in *Phædro* de Deorum moribus ac peregrinationibus enarrat! Quanta voluptate Timæum audit conditum ac dispositum a summo Deo et ministris ejus universum describentem!

Xenophonti igitur magis confidamus, qui illum ostendit de moribus et humana natura perpetuo disputantem : quamquam ego ne Xenophonteum quidem Socratem vero Socrati prorsus similem fuisse credam. Quis scit enim an Xenophontis illud ingenium, celsiorum subtiliorumque disputationum parum capax, magistrum aliquando longiore intervallo secutum sit? Multa forsan, quæ communi sensu contentus homo non facile intelligebat, Xenophontem, quamvis sermoni Socratis adesset, fugerunt. Adde quod ipse ille philosophiæ pater cum Xenophonte plurima fortasse non communicavit; hunc enim noverat constitutæ legibus religioni ita deditum, ut nihil adversus cærimonias vel oracula coram se jactari passurus esset. At contra Chærephontem arbitror, perpetuum Socratis comitem, multa, vel ambulantem, vel intra parietes, audiisse, quæ vulgi sententiæ repugnarent. Quum vero nulli Chærephontis, vel Aristodemi[1], vel ipsius Socratis commentarii supersint, ad Xenophontem confugiamus, qui, quamvis magistri memoriam ac laudem adversus accusantium calumnias defendere conaretur, dicta tamen ejus vel facta quæ maxime illi nocuerunt, negare non sustinuit. Hunc nempe jam vidimus ea quæ de versibus Homeri à Socrate sæpius jactatis narrabantur confiteri, et quamvis ea in bonam

[1] Plat. *Conv.* In princ. et in fine. (Ibi Aristodemus dicitur Socratem sequi solitus esse.)

partem interpretari tentet, nullo tamen mendacio iniquum crimen purgare.

Erga publicos Deorum ritus magna modestia usus est Socrates. In aris sacra fecit, et quum pauca possideret, pauca tamen offerre non dubitavit, imo juvenes admonuit ut in colendis numinibus patrias leges sequerentur. Quoties collata à Diis in homines beneficia enumerat, divinandi artem et præsagia non omittit [1]. Oraculorum tamen et vaticiniorum usus corrigere velit ; de nugis enim, vel iis de rebus quas humana mens cogitando percipere valet, Deos consuli non probat [2]. Incertum Xenophontem an ad Cyrum proficiscendum esset Apollinis oraculum Delphos sciscitatum mittit ; ipse vero hariolos raro interrogat, et interiora illa consilia audire mavult quæ ratione et rerum usu suggesta, genio cuidam attribuit [3]. Hic quoque Xenophontis verba attento animo perpendere decet. Quum enim Socratem divinatione usum esse contendat, hujus rei argumentum ex eo desumit, quod vulgo ferebatur ille a genio signa, ut ipse aiebat, accipere [4]. Ea ergo propria Socratis divinatio erat, et fere sola. Oraculum vero quo sapientissimus Græcorum declaratus est non ipse arcessiverat, sed perpetuus ille comes Chærephon [5].

Fictis de Deorum natura fabulis se non facile credere apud Platonem sæpius fatetur [6] ; et eodem teste, cum Euthyphronte hariolo, jam ab Anyto et Meleto accusatus, de

---

[1] Xenop. *Memorab.*, L. I, c. 5 sub finem. — L. IV, c. 3. = [2] Id., ibid., L. I, c. 1. = [3] Diog. Laert., L. II *in vita Xenop.* — Plut. de gen. Socr. passim. Plat. Theag. = [4] Xenoph., *Memorab.*, L. I, c. 1. = [5] Plat. *Apol. Socr.* (initio). = [6] Plat., *Phædr.*, in procem. Id., *Apolog.* Id., *De Republ.*, L. II et X.

sancto (περὶ τοῦ ὁσίου) ita locutus est, ut justitiæ ac sanctitatis normam ex inconstanti Deorum inter se semper litigantium voluntate duci non posse demonstraret [1].

Cæterum ab hominibus Deos negligi non sinit Socrates, et si quem præ superbia deprehendit neque Diis gratias agentem, neque ullo eos honore colentem, assidua illum interrogatione persequitur, donec funestam negligentiam [2] vel deponere, vel saltem damnare coegerit. Summum Deum esse putat, testante ipso Xenophonte, qui omnia regat contineatque; alios vero Deos vel *Dæmones* supremi illius regis ministros, humanorum votorum interpretes fatorumque nuntios esse [3]. Hos *Dæmones* vel, si malueris, minoris notæ Deos, Martem, Minervam, Venerem reipsa inter se vocari non affirmat, et quidquid ridicule, vel crudeliter, vel proterve fecisse dicuntur, animo procul respuit; eos tamen esse ratus est, et quamvis non eadem quæ alii precetur, ad eorum delubra preces ferre consuevit. Quod quidem, in libris *de Republica*, insigni indicio Plato comprobavit. Scimus enim magnam hujus operis partem in turpes falsorum numinum historias deridendas et vituperandas impendi [4]; nonne tamen Socrates a Platone inductus sese in festis *Bendidæis* Dianam illam, quam Piræi incolæ tam magnifica pompa celebrabant, precatum esse refert [5]? *Dæmonem* vero sibi adesse cur non ex animo credidisset? Quot enim post eum philosophi, quamvis fabulosos omnes Deos rejicerent, inter humanum genus et summum Numen innumeros *Dæmones*

---

[2] Plat., *Euthyph.* = [3] Xenoph., *Memorab.*, L. I, c. 4. = [4] Id., ibid., L. IV, c. 3. = [5] Vide præsertim Plat., *De Repub.*, L. II, sub finem et L. X, in principiis. = [6] Plat., *De Rep.*, L. I (in primis versibus).

versari dixerunt! In Platonis Timæo nonne supremus omnium rerum pater subjectos sibi Deos alloquitur? Nunc etiam hujus modi naturas non esse facilius affirmant quidam philosophi quam demonstrant. Sed si *Dæmones* putat oracula hominibus effundere, cur arcanis, quæ Dii ipsi retexisse ferebantur, initiari noluit? Num Eleusinios sacerdotes, magnarum rerum cognitionem pollicitos, aspernatus est? Illa enim discendi cupiditas, qua se flagrare aiebat, ad penetranda Cereris mysteria eum sæpius, ut opinor, hortata est. At prudentia singulari et priorum periculo monitus, his arcanis abstinuit. Postquam enim initiatus ea cognovisset quæ de Deorum hominumque natura sacerdotes docebant, jam de his rebus disserere illi non licuisset. Si quid ratiocinando reperisset vel aliis tentasset probare quod arcanæ disciplinæ vel minimum consentiret, non defuissent initiati qui mysteria a Socrate prodita clamarent. Ergo quum sese non initiatum palam profiteretur, hanc accusationem, qua Æschylus prope oppressus fuerat, vitare potuit et de Diis, de humana mente, de moribus præsertim, ab illa suspicione tutus, coram cunctis disserere.

Cæterum Eleusiniam disciplinam a Socrate recusatam esse non Xenophon, non Plato, ejus æquales ac socii nobis tradiderunt [1]; sed longo post tempore, Lucianus iis verbis indicavit, quæ subobscura videri possint: « Non minus odium inquit, apud multitudinem contraxerat Demonax quam olim Socrates, loquendi illa fiducia ac libertate; jamque

[1] In *Phædone* Plato Socratem inducit mysticam de animis et immortalitate doctrinam usurpantem, sed utrum eam Socrates ab aliquo discipulorum initiato, an ipse arcanis admissus, acceperit, non explanat.

consurrexerant contra illum Anyti quidam ac Meleti, accusantes eadem quæ in illum quondam jactata fuerant, quod neque sacrificans unquam visus erat, neque initiatus erat, solus omnium, Eleusiniis sacris [1]. » Hic autem utrum Lucianus significavit Demonactem impietatis ob easdem causas ac Socratem insimulatum fuisse, an ob peculiares ac proprias sibi causas eidem impietatis crimini obnoxium fuisse, quo Socratem Anytus oneraverat? Non facile enim credam Socratem, ut postea Demonactem philosophum, Deæ nunquam sacra fecisse; quod Xenophon ac Plato unanimi infitiantur. Libentius vero existimem non eadem pietatis officia Socratem ac Demonactem omisisse, sed pari accusantium malignitate fuisse vexatos. At quocumque modo Luciani sententiam interpretari libuerit, viros constabit a Socrate edoctos a vulgari turpissimoque falsorum numinum cultu paulatim abscessuros fuisse, nullam vero publicæ religioni vim intentaturos; nihil nempe minus Socratem redolet quam mutilatæ ab Alcibiade Mercurii effigies.

§ 4. — *De Socratis discipulis.*

Quam in viam amicos induceret Socrates, quam illis civitatis regendæ rationem, quem Deorum cultum ostenderet, pro facultate nostra descripsimus. Si propriam illis modestiam constantiamque inserere potuisset, nulla lege, nullo hominum jure violato, prudentia et virtute insignes viri ad rectæ rationis normam omnia moderati essent. Optimorum

[1] Luc. *Demon. vita*, c. 11 in ed. Dindorf et Bibl. Did

illud regimen vocari potuisset, et optimatum : quamvis enim mediæ conditionis civibus consilia dare non dubitaret Socrates, nec divitias unquam vel nobilitatem populorum rectoribus necessarias esse dixerit, eos præcipue ad rempublicam capessendam hortatus est, quos majorum facta jam stimulabant, qui nulli artificio, nulli labori dediti, ingenio excolendo longum otium impendere poterant. His tamen, si rebus publicis parum aptos viderit, aliud vitæ genus suadet ; hos a servilibus quidem artificiis [1], non sine Laconica quadam superbia, deterret ; at Lacedæmoniis justior simul et humanior, non Hilotis tantum ac servis agrorum culturam permitti vult, nobilissimos vero Atheniensium omnia ruris opera curare, inspicere, imo patricias manus interdum, junioris Cyri instar, ligoni et aratro admovere : hinc enim certissimas opes nasci, hinc optimos mores hauriri, hinc bellicam fortitudinem, imperatorias virtutes, et eas quæ magistratum maxime deceant, homines adipisci [2]. Præclaram vitæ rusticæ laudationem, quæ non risum moveat, ut Trygœi cantilena, sed Aristophanis tamen vindemiatoribus, si eam audirent, haud ingratam ! Affirmat Xenophon in vita rustica prudentissimum quemdam perfectumque virum a Socrate repertum fuisse, Ischomachum scilicet, qui res illas tam egregie calluerit, ut ab eo Socrates ipse doceretur [3]. At quotusquisque in republica gerenda magistro plane satisfecit, et illi vere probus et honestus (καλὸς κἀγαθός) visus est ! Quam multi juvenes ejus spem fefellerunt ! Theramenes modestam quidem civitatis regendæ formam optavisse perhibetur ;

---

[1] Xenoph., *Œcon.*, c. 4. = [2] Id., ibid., c. 5. = [3] Id., ibid., c. 6 sub finem et sqq.

sed propriæ utilitatis amantior, et veris falsisve periculis semper territus, omnium factionum transfuga vocatus est, *Cothurno* similis qui utrique pedum pariter conveniebat. Quantam plebeculæ rabiem adversus Arginusarum duces concitavit, non aliam ob causam quam quod sacrilegii suspicionem a se avertere cupiebat! Decora tamen morte versatilem vitam finivit, et in novissimis diebus Socratis disciplina amicitiaque digniorem se præstitit. Critias vero quanta in scelera se effudit! Ut satis mirari non possim quod Plato immanis tyranni memoriam toties nobis in animum revocat, et laudibus exornare conatur, generis propinquitate, opinor, ac communi popularis reipublicæ odio cæcatus. Nil de Alcibiade loquor, quem a juventute protervum Socrates prævidere potuit improbam vitam acturum.

Alios autem discipulos habuit qui, quum reipublicæ nullam partem attingerent, philosophicas tamen opiniones ac disputandi studium late spargere poterant: in his Chærepho eminere voluit; qui Socraticis, ut ita dicam, arcanis admissus, quædam audaciora forsitan audiit, quæ palam edi sine periculo non licebat. Hic quidem nimia sedulitate et laudibus illis quas ex Apollinis adyto referebat magistro interdum nocuit. Euripides vero, insigni ingenio fretus, philosophiam in scenam inducere studuit, et ob hanc præsertim causam, Aristophanis in se jocos procacesque facetias convertit.

CAPUT SEPTIMUM.

DE EURIPIDE.

§ 1. — *Quid de republica censuerit.*

Decem ferme annos ante Socratem natus Euripides (anno ante Chr. 484 vel 480), quidquid Athenis ingenuus adolescens docebatur a teneris annis didicit; nec sublimem modo Anaxagoræ philosophiam et argutas Protagoræ Prodicique disputationes toto pectore hausit, sed et ex athletarum certaminibus palmam reportavit [1]. Nemo acrius ad philosophandum disputandumve impulsus est; nemo novarum doctrinarum motus apertius sequebatur. Neve quid ei ex bonis artibus omnino ignotum foret, nonnullas etiam tabulas pinxisse ferebatur, quæ in Megarensium urbe diu servatæ fuissent [2]. Poeticæ tandem arti adhæsit, et hoc vitæ curriculum ingressus est, ubi splendidam popularemque gloriam posset adipisci, tumultuosas tamen imperitæ multitudinis

[1] Eurip. vitæ a variis grammaticis compositæ. = [2] Euripid. vita ex Mediolan. codice.

conciones fugeret, ac studiosum meditandi, aversatum risu et oblectamentis animum in magna morum severitate, imo in umbratili tristitia pasceret [1]. Immortales ergo tragœdias edidit, quarum amore Attica gens capta est, et universa Græcia, et Græcorum coloniæ [2].

Nullus ante poeta civium studiis magis indulserat. Nam præter tragicam vim, quæ in fabulis undique eminet, nonne multiplicem simul ac fidelem ostendunt Atheniensibus morum suorum, et institutionum, et præsentis animorum motus imaginem? Quantum illi delectarentur eloquentium oratorum jam nos edocuit Aristophanes [3]; nullam igitur causæ orandæ, vel rei alicujus in utramque partem disceptandæ occasionem omittit Euripides : nunc reus Hippolytus omnibus argumentis sese probat innocentem [4]; nunc Andromache Hermiones crimina refellit [5]; nunc Menelaus Hecubæ mandat ut coram se judice Helenam accuset [6], vel Orestem audit maternæ cædis culpam purgare tentantem [7]. Sæpe in medio tragicorum affectuum æstu perpendendam quæstionem subito arripiunt personæ, et, velut in Prodici et Hippiæ auditorio, promuntur, comparantur inter se pensanturque argumenta. Raro evenit ut ex vehementissimis affectibus aliquam sententiam non eliciat Euripides,

---

[1] De tristitia Euripidis, vide Eurip. vitas a Manuele Maschop et a Thoma Magistro scriptas, et illam quam ex Vindobon. cod. excerpsit Zimmermannus. — Vide etiam Germanici libelli a Schenkel. *De Euripidis opinionibus* scripti initium : Vindob., 1862.= [2] Vide quid Plutarch. narret in *Nic.* (§ 29) de captivis Atheniensibus quos, ob versus Euripidis cantatos, Siculi manumiserunt. = [3] Aristoph., *Vesp.* (loc. cit.), v. 640. = [4] Eurip., *Hippol.*, v. 983-1040. = [5] Id., *Andromach.*, v. 183-231. = [6] Id., *Troad*, v. 906-1060. = [7] Id., *Or.*, v. 544-604.

quæ late pateat et præcepti vim ac gravitatem secum ferat.

Hujus modi sententias Athenienses, e theatro egressi, tabellis et memoriæ inscriptas reportare gaudebant; et jam Æschylus ac Sophocles populum ita docere non omiserant. Sed apud Euripidem mirum in modum hæc scatent præcepta, et importuno frigore longas tragœdiarum partes interdum perfundunt. Nemo igitur inter tragicos plura quam Euripides populo suasit, nemo plures in scenam quæstiones, sententias, opiniones induxit. Qualem tragœdiam a prioribus accepisset paulo ante vidimus; nempe ab Æschylo tyrannidi inimicam, sed justæ auctoritati faventem, et Areopago patrocinantem, et addictam patriorum Deorum religioni; a Sophocle, minus severam quidem, nec cuiquam fere adversatam, sed antiqua quoque instituta modesta simul ac gravi voce defendentem, nobilitati faventem aliquando, nec infimæ plebeculæ arridentem. Quam vero ipse Euripides rempublicam omnibus anteponat, in fabula *Supplicibus* plane explicari videtur; nec quisquam nobis de ea re dubitandi locus superesset, nisi in aliis tragœdiis aliqua ab his diversa legeremus. Sed Theseum primo audiamus qui, in *Supplicibus*, Atticam rempublicam adversus philosophantem Argivorum præconem defendit, et ipsum Adrastum, Argivorum regem, de republica recte administranda monet. « In tres partes, inquit, civitates dividuntur; locupletum scilicet, qui inutilem vitam agunt, et in quærendo semper occupatam; pauperum, quibus necessaria desunt, et quos plerumque invidia torquet; violentis igitur animis impulsi, et pravorum ducum criminationibus decepti, divites assiduis contumeliis stimulant et lacessunt. In medio autem ordine civitatum salus posita

est, per quem res in optimo statu manent, nec mutationem instituta patiuntur[1]. »

Ille autem Theseus imperium obtinet arctis ita finibus inclusum, ut absque populi consensu nil decernere possit. Quod quidem ipse voluit; ipse suffragiorum libertatem æqualitatemque instituit, et quod liberis paribusque inter se civibus imperat gloriatur. Quidquid rex cupit confirmare festinat populus: rex tamen omnia convocato populo proponit[2]. Talem fere nobis Plutarchus Thesea depingit, et popularibus illis consiliis utentem ut optimatum dominationem evertat[3]. Hanc Thesei rationem Euripides probat; hujusmodi imperio temperatam laudat civitatem. Rex igitur illi placeat pares jure viros in foro consulens, sed mediocri ordini innixus, quos nec invidia nec speciosæ oratorum calumniæ transversos rapiunt, quos ipsa fortunarum mediocritas modestos et constantes efficit, non mollitia deliciisve fractos, non prorsus intentos lucro. Nonne eamdem fere reipublicæ formam nostra Gallia triginta abhinc annis optavit? Id tamen inter Galliam a Ludovico Philippo administratam, et Theseam illam vel potius Euripideam civitatem interest, quod ibi suffragii jure non pauperes excluduntur. Fortasse magis convenientem Euripidis votis rempublicam Pericles ostendit, qui, etsi populo in concionibus et judiciis et theatro pecuniam ex ærario distribuit, modestia tamen eum semper et magna gravitate coercuit. Non miremur ergo si Euripides, in Hippolyto[4], eodem carmine Thesei filium et Periclem recens mortuum luxerit,

[1] Euripid., *Suppl.*, v. 238-246. = [2] Id., ibid., v. 350. = [3] Plut. in *Thes.*, c. 24 et 25. = [4] Schol., *Eurip. ad Hippol.*, v. 1459-1460.

quum in *Supplicibus* bonum civitati ducem tam necessarium prædicet, hæc subjiciens[1] : Quot civitates, quia bonus dux deerat, perierunt !

Acerbiora quidem verba, quibus ditissimos notat, non facile approbem ; ita enim populi magis accenditur invidia, et eos qui pecunia pollent immerito contemnere medii ordinis cives incipiunt. Rursus autem popularis temeritas et oratorum iniqua vis in eodem loco justa vehementia impugnantur. Euripides denique omnibus æqua esse jura velit, sed non æquam auctoritatem ; sapientissimis, ut Socrates, mitem principatum assignat : sed Socrate audacior, in media civium classe sapientissimos versari declaret.

Tyranni nomen erectumque supra leges imperium ita detestatur, ut omnia popularis reipublicæ pericula parum curet, dum vitetur regni impotentia : nihil enim durius existimat quam penes regem, si libuerit, civium patrimonia ac filias esse[2]. Acriter tamen plebis et plebicolarum vitia exagitat. Peritos simul et improbos oratores ferre non potest[3], nec eos qui multitudinem turpiter adulando gratiam quærunt, amicis nocere non dubitantes, vel, imperium adepti, quodcumque promiserint imprudenter obliviscuntur[4]. Optima populum sæpe sentire confitetur ; sed ita tantum, si bonos duces invenerit[5]. Felices nimium civitates, si congregata multitudo sapientissimo cuique aures præbeat ! At sapientissimi plerumque non audiuntur[6]. Nulla est tam egregia virtus quam plebeius homo exhibere

[1] Eurip., *Suppl.*, v. 192. = [2] Id., ibid., v. 429-455. = [3] Id., *Hécub.*, v. 254-257. = [4] Id., *Iph. in Aul.*, v. 339-345. = [5] Id., *Orest.*, v. 772. = [6] Id., *Hippol.*, v. 988-989.

non possit; ubi autem optimos illos plebeios reperias? His nempe in agris, unde pacis fautores arcessit Aristophanes : hic strenuum integrumque vivit hominum genus qui rus ipsi colunt, et raro in urbe ac concionibus apparent, sed quoties res ipsa flagitat, sapientibus consiliis rempublicam servare parati sunt[1]. Invidiæ vero et malarum cupiditatum expertes, superiore loco ortos reverentur nec ea accipiunt quæ justis dominis subrepta tyranni largiri velint[2].

Hæc sunt quæ de republica plerumque censet Euripides; fatendum tamen eum in iisdem sententiis constantem non videri. Sapientem populi dominationem, vel certe mixtum maxima libertate et omnium civium æqualitate regnum *Supplices* tragœdia laudat : *Andromaches* autem chorus id imperium quod nullis terminis circumscribatur in civitate et in domo necessarium esse magna verborum gravitate demonstrat : « Duo regna, inquit, non facilius tolerantur quam unum; pondus ita ponderi additur, et hinc nascuntur dissidia[3]. » Hactenus occupata vi imperia et similes Megaclis ac Pisistrati conjurationi tyrannides eum vituperare dicas, et plenam libertatem iniquis illis dominationibus anteponere. Mox vero hæc subjicit[4] : « Quum rapido ventorum flatu navis fertur, duo nautæ ad gubernacula dissidentes, imo

[1] Eurip., *Orest.*, v. 917-922 Ibi rusticus homo depingitur habitu parum jucundus, sed omni virtute ornatus ac prudentia. Quem ad Socratis imaginem effectum non credam, quippe Socrates non rure habitabat et rarissime Athenis egressus est. = [2] Talem se præbet ille hortuli cultor (κῆπουρός) qui Electræ ab Ægisto conjunctus, Agamemnonis filiam virginem manere mira continentia passus est. = [3] Eurip., *Androm.*, v. 471-473. = [4] Id., ibid., v. 475-485.

sapientium magna multitudo uni viro impares sunt, qui minus quidem sciat, sed infinita potestate fruatur; hoc in domibus urbibusve imperium constitui decet, si opportunitatem arripere velis. »

Incidere igitur tempora quædam censet Euripides, quibus mediocris ingenii homo, totum imperium ad se trahens, diversarum sententiarum, ut ait Pascalius noster, radicem præcidat, et rempublicam servet; procellis nempe sævientibus, ad dictaturam confugiendum esse. His autem ipsis verbis « ὅταν πνοαῖς φέρωσιν.... » nonne manifesto indicatur libertatis studio poetam non in perpetuum desistere? Hunc tamen alter Socratis amicus, novi ingeniorum motus sectator et auctor, princeps denique Socraticæ scholæ Plato objurgat quod tyrannis faveat vel tyrannidi excusationes paret. Istius quidem criminis dubia indicia præbet accusator, quum hunc versum citet a grammaticis Sophocli attributum : « Sapientes tyranni sapientium societate fiunt[1]. » Sed alterum hunc, vere Euripideum, testari potuisset : « A bono viro vel tyrannice regi pulchrum est[2]. » Concedamus ergo Platoni, ab Euripide tyrannos non in omnibus tragœdiis eodem modo atque in *Supplicibus* exagitatos esse; imo poetam aliquando suum erga illos odium ita deposuisse, ut bonum tyrannum vel sponte existere vel fieri posse declaraverit. Num tamen Platoni tanta severitate uti licebat, qui toties Dionysios speravit ad meliorem frugem

[1] Plat., *Theag.*; id., *de Rep.*, L. VIII. — El., Arist., t. II, p. 288., ed. Jebb. — Themist., *or.* 16. — Stob., *tit.* 46, p. 325. — Gellius, XIII, 18. = [2] Eurip. in fragm. *Ægei* 4 (Stob., tit. 45) ἀνδρὸς ὑπ' ἐσθλοῦ καὶ τυραννεῖσθαι καλόν.

reductum iri, qui sapientium eos societate excolere tentavit, quique interdum populari licentia fessus, juvenem docilemque tyrannum sibi contingere optavit? Nec minus admiramur Platonem ideo indignari quod Euripides tyrannidem *Deorum potentiæ* æquam nominet (ἰσόθεον)[1]. Qui enim fieri potuit ut ea verba non ab Euripide ipso, sed ab Asiatici regis vidua pronuntiari non animadverteret; hanc vero tyrannidem non eam esse quam violatis legibus Pisistratus Dionysiusve occupavisset, sed delatam antiquis institutis et unanimo populorum consensu regibus potestatem[2]? Quin potius Plato meminerat quam egregia et prope Æschylæa magnanimitate iniquam servitutem Hercules ille respuat, in satyricam fabulam, cui *Sylæo* nomen erat, ab Euripide inductus[3].

Addit autem Plato tragicos omnes poetas tyrannidi ideo favere, quod multitudini adulentur; multitudinis vero potestas plerumque tyrannidem gignat, sive adversus divites impuro duce plebecula uti cupiat, sive proprios furores et civiles discordias violento unius hominis principatu compescere. « Ergo, inquit, qui plebi nimia concedunt, tyrannis, id est impuris ac deterrimis plebis ducibus aliquantum faveant necesse est; nemo enim magis quam tyrannus infimorum in superiores invidiam et insanum æqualitatis desiderium explet[4]. » Huic vituperationi speciem aliquam subesse non negamus; in his enim quæ modo citavimus accendendæ in divites invidiæ aptiora verba notata sunt; sed

[1] Plat., *de Rep.*, L. VIII, in fine. = [2] Eurip. *Troad*, v. 1169. = [3] Id., *fr.*, 679, 680, 681, a Wagn. ed. in Bibl. Did. = [4] Plato. *De Republica*, L. VIII passim.

si Euripidem non injuste damnare velis, reliqua etiam non oblivisci decet, quibus hanc ipsam invidiam et pravos plebis adulatores tam graviter castigavit. Quod vero in universum de tragicis poetis multitudini adulantibus Plato dicit, quam falsum sit, Æschyli, Sophoclis, et ipsius Euripidis exempla satis testantur.

Cæterum Euripidis opiniones eadem facilitate et indulgentia judicandas arbitror, qua tot veterum poetarum philosophiam æstimamus. Nonne Virgilio acerbissime Bossuetius exprobravit quod modo Platonis, modo Epicuri sese discipulum præbeat[1]? Nos autem Virgilium libenter excusamus, si inter tot luctantes philosophorum sectas dubius remansit, et quidquid variis carminum suorum locis optime conveniret poetico furore ductus arripuit; mores ejus et animum non ex iis mundi nascentis descriptionibus judicare solemus, sed ex tot humanæ vitæ picturis, quæ pietatem ejus, et justitiam, et erga homines misericordiam caritatemque testantur.

Euripidi vero, quum in tam diversis tragœdiarum materiis, diversarum personarum nomine semper loquendum sit, quid mirum si diversa de rebus judicare videtur? In *Supplicibus* ergo, ubi egregium popularis potentiæ usum depingebat, quomodo populari potentiæ non aliquantum favisset? In *Andromache* autem, ubi domesticarum discordiarum duplicisque imperii incommoda apparent, et inter duas reginas atrox certamen oritur, ea sentire chorum decuit, quæ nostrum quilibet eadem aspiciens sentiret; unius scilicet imperium aliquando necessarium esse, et civilibus procellis nil dictatura aptius. Ea est enim tragici operis lex, ut rerum in

[1] Boss. *De Concupisc.*, c. 18.

fabula gestarum vicibus personarum et chori sensus ac verba respondeant.

Præterea, quo tempore florebat Euripides, quotusquisque de his quæstionibus tum primum in disputationem adductis, certum aliquid ac fixum philosophando perceperat? Nonne ipse Plato, priusquam in *Republica et Legibus* tot rerum notiones plane definiret, ita dubitantem Socratem in *dialogis* effinxit, ut legentibus nil præter dubitationem et multarum opinionum diffidentiam sæpe injiceret? Euripidis igitur de republica sententias ad certam constantemque doctrinam redigere non tentabo: plurima illum in scenam protulisse fatebor, quæ passim disputarentur, quæque illi penitus scrutari non licuerit. Sed quo præcipue tendat ex universis illius operibus intelligere possumus; et *Supplicibus* tragœdia eo libentius crediderim sinceram poetæ sententiam expromi, quod tragicæ artis ac tragici propositi sæpissime oblitus, Atticam tantummodo rempublicam laudare et prudentissimam popularis civitatis moderationem commendare velle videtur. Non ipsa fabulæ materia, non varii personarum affectus hanc sententiarum frequentiam efflagitabant; Euripides igitur celebrandi simul admonendique populi opportunitatem arripuit [1].

Num vero, laudationis modum excedens, vel hic, vel alias civibus adulatus est? Eorum inimicitiis poetam haud

---

[1] Si Græco cuidam interpreti credimus, quem in centes. octog. sept. libri de Græc. trag. princ. scripti pag. citavit Bœkhius, anno ante Chr. 420 *Supplices* tragœdia in scenam prodiit, quo anno cum Argivis fœdus pepigit Attica civitas. *Andromachen* vero non Athenis, sed in Argivorum urbe commissam fuisse Græcæ interpretationes recentius editæ nos admonent. (Vide Schenklii disput. jam anteo laudatæ, pag. nonam.) Quum autem Argivos,

diffiteor plurima concessisse : in *Supplicibus* enim Spartam crudelem ac moribus versutam affirmat [1], quumque Menelao in *Andromache* ignava scelera imputet, Spartanam illius originem spectantibus in memoriam revocare non omittit. Quid nempe acerbius quam diræ illæ ab Hectoris vidua in Lacedæmonios ingestæ : « O vos cunctis hominibus inimicissimi mortales, Spartæ incolæ, qui dolis meditandis semper intenti, mentiendi principatum obtinetis ; vos, malorum machinatores et opifices, nil sani quidem, sed obliqua omnia cogitatis, et ambiguæ prudentiæ plena ; in Græcia denique immerito floretis. Quod scelus a vobis alienum est ? Nonne cædibus estis infames ? Nonne turpis lucri sectatores ? Nonne alia dicentes, alia sentientes perpetuo deprehendi soletis ? Ite in perniciem [2] ! »

Talibus contumeliis indignamur tragicam musam labia aperire, et Attico populo deridendos exsecrandosve Lacedæmonios propinare ; at non longe absunt sapientiores versus et philosopho digniores. Id nempe Euripides dolet, quod tot civitates, quum placida oratione inter se reconciliari possint, ferro tamen lites malint decernere [3]. Quales vero homines ad bellum alios hortentur plenis acrimoniæ verbis describit : « Juvenes scilicet honorum avidos qui contra jus et fas in certamina civitatem impellant, alius ut dux evadat, alius ut rerum potiatur et imperium violenter exerceat ; alius deni-

---

ineunte bello, nec Athenis nec Spartæ favisse affirmet Thucydides (in L. II, cap. 9), eidem *scholiastæ* libenter assenserim, qui tragœdiam hanc magni certaminis principio actam fuisse opinatur : imo nescio an ab Euripide ideo composita sit, ut nutantes adhuc Argivorum animos a Lacedæmoniis prorsus abalienaret. = [1] Eurip., *Suppl.*, v. 105. = [2] Id., *Androm.* v. 445-453. = [3] Id., *Suppl.*, v. 748-750.

que ut lucri cupidinem expleat, populi communiumque malorum securus [1]. « Num Aristophanes adversus pravos istos bellorum tumultusque suasores gravius quidquam et vehementius dixit? Quis autem laudatum ab Euripide belli genus non probet? Quis Euripideum illum Thesea non amet, qui, ut oppressis succurrat et humanum divinumque jus tueatur, arma capit; qui domitandarum gentium non studiosus, expugnatis prope Thebis parcit; et ubi impetravit ut sepeliantur Argivorum corpora, nil ultra patitur Atticam pubem tentare : « Talis, inquit Euripides, dux eligendus est, in periculo strenuus quidem, sed ad multitudinis temeritatem cohibendam promptus : multitudo enim quum prosperis rebus floret, summos scalæ gradus gestit conscendere, et paratam amittit felicitatem [2]. » Quis unquam exsultantium civium ambitiosa consilia graviore prudentia vituperavit ac reprimere conatus est? Quis, præter ipsum Aristophanem, vividiùs Euripide pacis delicias celebravit [3] ?

De nobilitate quid censuerit Euripides non cito dispicias; excutiendis enim tragici comicive poetæ opinionibus ea difficultas quam antea attigimus. In integra fabula semper cavendum est ne sententias ab aliqua persona pronuntiatas poetæ ipsi imputemus, neve, quum certantibus inter se personarum opinionibus, neutri plane scriptor assentiat, alterutri tamen prorsus eum favere credamus. Ita erravit Schlegelius, Chrysalium Philintiumve Molerii nostri interpretes judicando. In fragmentis vero deperditarum fabularum quanto difficilius fit discrimen! Hic enim ea desunt

---

[1] Eurip., *Suppl.*, v. 232-237. = [2] Id., ibid., v. 723-730. = [3] Id., *Cresph.* fr. 15 (in ed. Wagr. et Bibl. Did. Stob. *tit.* 53.) Vide et Schenklii disp. supra citatæ, p. 33.

quæ nos maxime adjuvent. Ex toto scilicet fabulæ tenore quam personam spectanti invisam vel deridendam efficere velit poeta perspicitur; finis præsertim propriam operi notam imprimit, et prout boni infaustive rerum exitus cuique actori assignantur, quam vivendi regulam probet scriptor manifesto apparet. Sed quum fragmenta tantum fabulæ supersunt, ubi tenor ille? ubi finis? ubi operis summa?

Adde quod Euripides, sophisticis studiis imbutus, eas etiam opiniones quas ipse repudiet, vel, ut incertas adhuc, dubitet amplecti, ex utraque parte tamen diserte ac copiose perpendere amat. Sin autem una tantum disputationis particula nobis tradita fuerit, altera vero amissa, nonne metuendum est ne temere illius opinionem divinemur? Et res ita se habuit; nam Euripides de gravissimis utilissimisque rebus non dubitare solum, sed perversa et civitatibus exitiosa probasse arguitur. Quoties igitur Euripidis opinionem conjectura assequi tentabimus, ne unum alterumve versum, ne unam quidem versuum seriem intueamur, sed cunctis de eadem re versibus perpensis, dubitemus potius, si dubitationi locus est, quam Socratis amico turpia præcepta imputemus. Hanc rationem sequemur, sive de moribus, sive de religione Euripidem interrogemus.

Itaque postquam hunc locum legerimus, ubi nobilitatem longa divitiarum possessione constare dicitur, hæc a protervo Æoli filio pronuntiari meminerimus, jamque patrem probabimus respondentem : « Ne divitiarum mihi mentionem facias; Deum enim non admiror quo pessimus quisque facile potitur [1]. » Num rursus poetam arbitrabimur quid

[1] Eurip., *Æol.*, fr. 1 et 5

ipse sentiret exposuisse, quum homines a primo ortu pares fuisse contenderit, et prudentia ingeniique acumine nobilitatem constare; quas quidem dotes Deus, non divitiæ dare soleant [1]. Hæc verba fateor, si ad numeros syllabarum spectemus, e choro excerpta sunt; scimus autem poetas proprios sensus interprete choro plerumque promere; sed quod plerumque fit non fit semper, et choros Euripideos novimus qui spectantium potius quam poetæ sensus interpretentur.

Fac tamen Euripidem in hoc Alexandri fragmento et in *Melanippe vincta* [2] quid de nobilitate variisque opinionibus (κενῶν δοξασμάτων) sentiret edidisse; alius vero chorus est in *Andromache*, ubi nobilitas maximis laudibus extollitur : « Aut nunquam nata esse velim, inquit puellarum Thessala-« rum turba, aut ex honestis patribus orta, divites domos « incolere. Si quis enim in periculorum angustias cecidit, « nobili loco natis non deficit auxilium : iis qui eximia « gente educta feruntur honorem et gloriam, strenuorum « parentum reliquias, tempus non adimit; virtus autem « vel mortuis effulget [3]. » — Eadem fere nobilitatis commoda senex Iolaus quem justitiæ amantissimum effingit poeta, in *Heraclidis* prædicat : « Nil pueris pretiosius est quam se « forti ac bono patre orti sint, ex honesta vero familia du-« cant uxores; qui vero cupidine victus improbis sese jun-« git, eum non laudabo; quod liberis dedecus, anteposita « voluptate, linquit. Nobilitas enim calamitates præsentius « arcet quam ignobilis origo; nos scilicet, in extrema mala

[1] Eurip., *Alex.*, fr. 16. = [2] Id., *Melan. vinc.*, fr. 4. = [3] Id., *Androm.*, v. 769-776.

« delapsi, hos amicos et propinquos invenimus, qui inter « tot Græciæ gentes his Heraclidis soli propugnaverunt[1]. »

Durum quidem adversus ignobilium nuptiarum sectatores decretum Euripideus ille Iolaus tulisse videtur, quum præsertim obscuram originem (δυσγένειαν) improbo generi (κακοῖς) assimilet; at ipse sententiam suam mox corrigit: et si enim clara patrum memoria liberos diu protegi et commendari declarat, paucissimos esse dicit, qui acceptum illud a patribus gloriæ onus sustineant. Eam ergo generis nobilitatem nihil aliud esse significat Iolaus, nisi paternæ virtutis memoriam, nec, ut chorus *Andromaches*, domesticæ opulentiæ commoda (πολυκτητῶν δόμων) originis splendori adjungit. Quamquam ille etiam chorus nihil affirmat quod vel libertatis et æqui juris amantissimi non fateantur, multum scilicet homini misero ad invenienda auxilia nobilitatem et divitias conferre. Neu quis Euripideum Erechthea acrius vituperet quod filio suadet ut rem familiarem augeat; hinc enim nobilitatem et splendidissima matrimonia nobis contingere[2]. Non enim ibi quid justum sit, sed quid apud homines fieri soleat docet: cæterum paucis ante versibus filium admonuit ne diviti unquam majorem partem concederet, omnibus vero sese probum pariter ac pium præstaret.

(Τῷ πλουσίῳ τε μὴ διδοὺς μεῖζον μέρος.
ἴσον σεαυτὸν εὐσεβεῖν πᾶσιν δίδου.)

Ergo si Euripidem secum comparemus, sparsosque per

---

[1] Eurip., *Heracl.*, v. 297-307. = [2] Id., *Erecht.*, fr. 20, v. 14-17

tragœdias ejus locos colligamus, ubi probos servos multis ingenuis meliores esse dicit [1], et eum qui liberi nomen non habeat, liberalem tamen animum gerere posse [2], et pauperrimis viris altissimam sæpe inesse sapientiam, eum agnoscemus optimatum insolentiæ nunquam favisse, sed eadem fere quæ Bolæus noster, de nobilitate censuisse. Utrique igitur placet virtute sola veram nobilitatem constare; generis tamen splendorem, si nobis obtigerit, non prorsus negligendum; hinc enim aliquam nobis hominum gratiam conciliari; hinc nos ad recte faciendum domestica exemplorum hereditate stimulari.

§ 2. — *Quid de moribus ac religione censuerit Euripides.*

Quid de moribus ac religione præceperit Euripides eo diligentius persequemur, quod hanc semper exagitandi Euripidis causam præ se tulit Aristophanes; et inde planius apparebit, popularibus vitiis et malis plebicolarum artibus infensos pariter homines, tamen quia de moribus et Diis et philosophia diversa sentirent, in se invicem prope armatos fuisse.

Aristophani primum et severo Euripidis censori Schlegelio concedam clarissimi poetæ personas fata Deorum oraculaque et æternas leges non tam constanter quam apud Æschylum Sophoclemve in agendo sibi proponere, et quum cupidines suas humanosque affectus magis sequantur, pro-

[1] Eurip., *Ion.*, v. 854. = [2] Id., *Melan. vinct.*, fr. 10.

piorem forsan vero, sed humiliorem nostræ naturæ imaginem spectantibus offerre. Hinc in rebus ab eo depictis minor gravitas sanctitasque; hinc molliores cedentium doloribus vel planctibus indulgentium heroum animi; hinc etiam illæ libidines et turpia mentis vulnera, quæ quoties nostris oculis nimia cum miseratione objiciuntur, nescio qua contagione virtutem nostam labefaciunt constantiamque perturbant. Hoc quidem periculum quantopere religionis nostræ patres et nobilissimi defensores timuerint, nemo nescit; nos autem, gravissimis illis austerisque pie et integre vivendi magistris paulo minus severi, humanorum affectuum, imo libidinum imaginem non excusamus modo, sed probamus, si fabulæ eventum ita scriptor disposuerit, ut recte ac prave factis debita merces vel pœna tribuatur.

Quam rationem plerumque servavisse Euripidem nemo negabit; num servaverit semper, dubitari potest; quin etiam ab hac lege interdum eum descivisse constat. Quo enim pacto Euripideus Orestes imminentis periculi angustiis evadit? Nonne insonti Hermionæ nefandam cædem minitando? Quis horrendas illas puellæ nuptias ferre potest, huic ipsi adolescenti desponsæ, qui, si Menelaus diutius restitisset, virgineum pectus gladio transfigere parabat? Nullum unquam, fateamur, felicius alicui cessit latrocinium. Quod tamen, etsi mali exempli esse mihi videtur, Euripidi non severius imputandum arbitror. Fabulosa enim illa argumenta, quum plurimis manibus jam tractata essent, ad movendos simul oblectandosque animos non multum novitatis afferebant; quia autem alienis vestigiis timidius insistere tragicum nostrum pigebat, diversa priscis et interdum pejora comminisci cogebatur. In *Electra* illa, quam ab Æschylo et Sophocle tanta majestate indutam miserabiliter

corrupit, quis hoc novitatis studium non agnoscat? Quam futili ac turpi perfidia Clytæmnestræ cædem Orestes et Electra moliuntur! Quot mendacia in unum congerunt, quam vulpinas, ut ita dicam, astutias miscent et implicant! Hæc vero non ut spectantium mores inficeret effinxit Euripides, sed ut fabulæ personas, nova quasi nota signatas, magis sibi proprias redderet.

In eo etiam peccavit, quod, quum malis cupidinibus incensos homines depingi oporteret, tragica scena sese incedere oblitus, Prodici Socratisve domum subito ingredi sibi videbatur; tum vero personarum affectus in disputationes *philosophicasve* sententias convertebat, et eas etiam quas ipse damnabat opiniones, omnibus argumentis munire studebat. Euripideus ergo Bellerophon, insano divitiarum amore captus[1], sophistarum ritu splendidam opulentiæ laudationem pronuntiabat; Helena autem, a Menelao accusata, quum periculo vitam subducere conaretur, culpam in Venerem, scilicet in invictam vim amoris, rejiciebat[2].

Quæ dum in scena agebantur, multos seniorum indignantes poetæ audaciam diris devovisse arbitror : « Quid tibi vis, insane, aiebant? Non hos juvenes respicis, qui, freni impatientes, vitiorum excusationem avidis excipiunt auribus? Frustra tot abominandas sententias pari eloquentia refellis; quæ semel eorum temeritati arrisere, ægris animis in perpetuum hærent. Quale etiam in periculum nos adducis, si de illis opinionibus, per quas privatæ domus ac civitates hactenus steterunt, dubitari ac disputari posse

---

[1] Sen., *Ep.* 115. = [2] Euripid., *Troad.* v. 948-950.

ostendis ; si, inter festos theatri tumultus, tot et tantas res disceptandas spectantibus proponis ! »

Hæc multos dixisse non conjicio tantum, sed ex acerrimis Aristophanis criminibus plane comperio. Errabant quidem illi qui antiquos hominum sensus in dubium disputationemque vocari nolebant ; populis enim tempus necessario advenit, quum ea quæ hactenus docili animo credidere ratione perpendunt ac scrutantur ; hinc sæpe in errores amantiora libertatis vel cæcis impulsa cupidinibus ingenia prorumpunt ; hinc etiam veritate firmius audaciusque potiuntur, et multa tandem dispiciunt quæ priscæ religionis veterumque disciplinarum finibus inclusi patres vix suspicati erant. At in theatri consessu non sine periculo tam gravia simul et ardua subtiliaque agitantur : nam quos mala mens vel ætatis fervor ad libidines incitat, quidquid pravis affectibus ac studiis speciem aliquam paulo honestiorem prætendere potest ex tot egregiis versibus raptim decerpunt, et sibi tanquam parata adversus bonas artes tela reservare gaudent.

Id certe quum Aristophani et Euripidis censoribus concesserim, in plerisque tragici poetæ sententiis excusandis tempus inane non teram. Quis enim nostrum credat eum perjuris speciosa argumenta consulto paravisse, quum Hippolytum, audito Phædræ amore, horrentem inducat et exclamantem : « Lingua quidem, non mente juravi [1] ? » Nonne illum contra ostendit jurisjurandi ita tenacem ut, a noverca accusatus, mulieris impudicam libidinem patri retegere nolit ? Num Eteoclem istum probat, qui ad principatum obtinendum pietatis jura tam facile transgreditur [2] ? Nonne

---

[1] Eurip., *Hippol.*, v. 612. = [2] Id. *Phœniss.*, v. 524-525.

illum Polynice multo atrociorem fingit, et odio nostro multo digniorem ?

Ad illam vero *Supplices* paulisper redeamus, quam propriis poetæ sententiis ideo pleniorem existimo, quod tragico colore ac motu sæpissime, et quasi consulto, destituta est. Quales autem ibi viros laudat ? Quæ proponit civibus exemplaria ? Nonne honestissimis dotibus Argivos duces occisos exornat, modestia scilicet, et mansuetudine, et castitate[1] ? Nonne superbum Capanea, quem alii a Jove ob impietatem mulctatum depingunt, quem ipse fulmine ictum non negat, incredibili tamen erga omnes comitate commendat et sincero in amicos studio ? Honesta igitur Euripides probat, et adeo non cunctos ad sophisticam dicendi vel disputandi artem hortatur, ut contra Tydeum laudet, parum disertum quidem, sed bellicæ arti aptissimum, et in quodam fragmento bellatori sermonum elegantiam parum decoram esse dicat[2]. Novorum tamen studiorum inimicos non sapientes illæ Euripidis sententiæ satis placabant : « Cur enim, inquiebant, tot diversa reperiuntur in hujus tragœdiis documenta ? Cur inde, velut ex aperto omnibus armamentario, bonis malisve tela depromere licet ? Nullam non virtutem egregiis versibus præceptisque commendat ; nullum rursus vitium vel scelus his sententiis non excusat, quæ tam late patent, ut a pravissimo quoque velut male vivendi formulæ usurpari possint ? Quid prodest scilicet a sermonum subtilitate et nimia elegantia milites deterrere, si fortissimos heroas disputationibus

---

[1] Eurip., *Suppl.*, 860-915 (in Argiv. laudatione funebri). = [2] Id., *Æol.*, fr. 6.

et argutiis intentos, vel certe semper paratos ostendit, et omnibus artificiis miserabilia rerum ac verborum acumina exornantes; si Thesea, urbis patrem ac conditorem, de hominum et civitatum natura infinita disserentem inducit? Si ideo tantum, ut studentis Musis et philosophiæ viri rationem occupatæ in rebus publicis gerendis vitæ anteponendam esse probaret, totam fabulam semel composuit[1]; si athletas illosque athletarum ludos, quos majores nostri tam utiles et sanctos habebant, Græciæ pestem esse declarat[2]?» Hæc veterum institutorum et avitæ disciplinæ fautores aiebant; hæc sub protervis ac scurrilibus Aristophanis contumeliis latent; hæc injusta quidem arbitror, si de Deorum hominumque ac rerum natura disputandi et investigandi jus omnino tollere vellent; justa autem, si Euripidem tantummodo admonerent has disputationes in theatro et festorum tumultu non esse proponendas.

Et quoniam Deorum mentionem feci, quis audaciam Euripidis adversus impura veterum numina poetarumque fabulas ignorat? Nonne in *Troadibus*[3] docet suam cuique libidinem Deum esse, et pravissimos mortalium vitia sua falso in Deos rejicere? In *Ione*[4] perniciem Diis minatur, et hominum rebellionem, et dignam tot stupris, tot sceleribus pœnam. In *Hercule furente*[5] Platoni viam aperit, qui Deos, si vere Dii sint, alieno auxilio, vel mendaciis ac perfidia nunquam egere profitebitur[6].

---

[1] Eurip., *Antiop.*, fr. 19, 20, 21, 22, 23. Vide etiam germanicam Schenkli disputationem (die Auschauugen des Euripides... Vindob., anno 1862.) = [2] Id., *Autolyc.*, fr. 1. Ath. X, p. 413. = [3] Id., *Troad.*, v. 988. = [4] Id., *Jon.*, v. 442-451. = [5] Id., *Hercul. fur.*, v. 1280-1283-1287-1294-1314-1319. = [6] Plat., *de Rep.*, L. II sub finem.

Hic enim Euripides quæ divinæ naturæ repugnantia circumferuntur poetarum vanitati adscribit. Quum autem, civitatis iram metuens, publicæ Deorum religioni satisfacere tentat, quis non intelligit quam invitus illis animum submittat? Quam ridiculos enim eos senes effingit, qui istiusmodi ritus libenter amplectuntur, Cadmum et Tiresiam. Quanta subest his verbis perfidia : Dei vim agnoscere, *qualiscumque est Deus,* non magnus labor est[1] ! »

Hanc tamen audaciam nos, veri numinis cultores, suffragio et plausu excipimus; ob id præsertim, quod impuros illos veterum Deos, virtutis et justitiæ causam citatis supra fabulis defendendo, Euripides lacessit. Unus etiam inter antiquos christianæ religionis philosophos Euripidis fragmentum multa cum laude protulit, homines in scenam inducentis, qui humanæ naturæ penitus scrutandæ studiosi, a summo Deo efflagitabant ut mentibus suis lucem ipse infunderet[2]. At non immerito vir inter Germanos doctus[3] animadvertit in Græcam religionem tam vehementer impetu facto, spectantium animos interdum potius perturbasse poetam quam prudentiore et honestiore pietate implevisse. Hic enim, ut alias, incertæ proponuntur doctrinæ; nunc Xenophontei Socratis vestigia sequens, benignum hominibus Deum invigilare profitetur Euripides, et inter divina beneficia futurarum rerum præsagia et omina recenset[4]; nunc Jovem summumque Deum Æthera esse declarat[5]; nunc omnes simul quæ de divina natura concipi possunt opiniones colligens, plena dubitationis verba,

---

[1] Eurip., *Bacch.*, v. 893-895. = [2] Id., *Alex.*, fr. 967 et 968 in ed. Wagn. = [3] Bouterweck : *Soc., Goetting. comm.*, ann. 1816. = [4] Eurip., *Suppl.*, v. 211-213. = [5] Id., *Fr. trag.*, 1047.

Hecuba interprete, pronuntiat : « O tu qui terram sustines, et in ipsa terra sedem habes, quisquis es, o Jupiter, quem conjectura assequi nequimus, sive naturæ necessitas, sive hominum intellectus, te votis adoro : omnia enim mortalia per tacitum iter ad justitiam ducis[1]. »

Quot et quam graves disputandi causas quinque versibus suscitat Euripides ! Si enim Jupiter *naturæ necessitas est*, quo eum cultu prosequamur ? Imo num aliquid est *naturæ* illa *necessitas*, quod adorari, coli placarique possit ? Sin autem *hominum intellectus*, timeo ne jam summus ille Deus nullus sit. His vocibus Spinosa Hegeliusque prænuntiari mihi videntur ; hic non Anaxagoram solum, cujus in primis discipulus fuisse fertur Euripides, sed philosophos omnes ac sophistas confusis adhuc opinionibus Græciam implentes, audio. Quid si illam nascentis mundi descriptionem recordamur, ubi varia rerum elementa sponte sua inter se discreta fuisse contendit, Democritum, ut arbitror, ducem potissimum secutus[2] ? Si, hunc Melanippes versum, quem ob judicii timorem correxit : « Jupiter, quisquis est ; fama enim tantummodo eum novi[3] ? » Ejusmodi profecto sententiis nulla vis inest ad confirmandam hominum pietatem ; et dubitatione potius quam pura religione spectantium pectora sic implebantur. Nec de Deorum natura tantummodo incerta profert Euripides ; in omnibus vero fluctuare videtur. De feminis etiam, quarum acerrimus insectator, et quamdiu vixit, et apud posteros habitus est, non eadem perpetuo sentit. Nullam quidem occasionem

[1] Eurip., *Troad.*, v. 884-889. = [2] Id., *Melan. Philos.*, fr. 6. = [3] Id., *Melan.*, fr. 1. — Vide et Plutarch.

omisit feminei generis exagitandi : « Aut mulieres, inquit, corrigat aliquis, aut eas a me patiatur semper objurgari[1]. » Imo feminas sæpe inducit vel immeritam infamiam proprio sexui inurentes[2]. Quid tamen amore dignius effingi potest, quam tot tragicorum virorum filiæ, sorores uxoresve? Nonne in Iphigeniam, Polyxenam, Alcestidem, Macariam, quidquid viris admirationem caritatemque mulierum injicere potest, studiosissima arte contulit? Nonne Alcestidem ostendit mariti iras etiam in infimos servos lenientem[3], et animum ejus propriæ virtutis auctoritate ac dulcedine flectentem? Æthra autem, Thesei mater, nonne supplices Argivas ita tuetur, ut eam in filium multum posse appareat[4]. Quid, vel apud recentiores christianosque, sanctius ac venerabilius habetur, quam regia mulier quæ miseris et exsulibus Deos hominesque conciliet?

Fama est Euripidem *Melanippen* tragœdiam ideo scripsisse ut in gratiam cum toto feminarum sexu rediret; ibi enim philosophantem mulierem induxerat in scenam, et altissima instructam doctrina. Imo, illi ipsi tragœdiæ ubi atrocissimum scelus e muliebri furore natum depinxit, nonne hos inseruit versus, quibus virorum crudelis inconstantia acerrime vituperatur : « Quoties virum domesticæ societatis tædet, foras egreditur, et sibi solatium parat, seu ad amicum, seu ad æquales conversus; at nobis in nostrum pectus tantummodo oculos conjicere licet[5] ». In hoc vero

---

[1] Eurip., *Hipp.*, v. 668. = [2] Id., *Androm.*, v. 272. Ibi ipsa Andromache mulieres hominibus pestem esse declarat. = [3] Id., *Alcest.*, v. 769-771. = [4] Id., *Suppl.*, v. 91-103. = [5] Id., *Med.*, v. 230-251 (ubi Medea sola secum loquitur).

Medeæ loco mulierum infirmitatem miseriamque tam vividis coloribus expressam deprehendimus, ut jam viros pudeat erga debiles illas cubilis vitæque consortes non modo vim, sed imperium etiam legitimamque potestatem exercere.

At si quis Euripidearum fabularum summam perpendere voluerit, sæpius videbit illum gravia mulieribus officia imponere quam earum jura vindicare tentantem. Id in primis feminis imperat ut mala vicinarum sociarumque consilia vitent, ut intimo domorum recessu plerumque maneant, nec cuiquam, foras prodeundo, maledicendi occasionem præbeant. Si quid illis boni in mentem venerit, marito, ut Alcestis, filiove, ut Æthra, rectum consilium aperiant, ipsæ autem nunquam exsequantur, sed viris omnia perficienda relinquant. Conjugis imo peccatis ita uxor ignoscat, ut infantibus e pellice susceptis mammam offerre non dubitet. Tali nempe indulgentia Andromache Hectorem fovit, nec marito suo fortuitam hanc, ut ait poeta, voluptatis guttam invidit.

Hic vero nos uxoris et matris familias dignitatem istiusmodi clementia nimium deprimi reclamamus, et virorum libidinibus latiorem æquo campum aperiri. Nec facile suspicemur poetam qui mulieribus tam severa præscribit mollibus lascivisque præceptis earum animos imbuisse; id tamen Aristophanes, ut postea videbimus, Euripidi exprobravit, singularibus subnixus argumentis.

Cæterum quantæ essent Aristophani, veterum institutorum, et optimatum factionis, et pacis laudatori, impugnandi Euripidis causæ, jam plane perspicimus. Constat enim tragicum, quamvis plebicolis et protervis oratoribus infensum, ditissimis civibus parum favisse, et Spartanorum perpetuis accusatoribus multa concessisse, et philosophandi

morbum, ut aiebant comici, innumeris exemplis irritavisse. Illum autem Alcibiade fretum in poeticam arenam descendisse Thirlwallius ex eo conjicit, quod carmina in Alcibiadis honorem ab eo composita refert Plutarchus[1]. Et ego libens crediderim in studiosissimo philosophiæ juvene ac Socratis discipulo multum spei primum Euripidem reposuisse ; mox vero quam parva fiducia dignus esset intelligentem, has partes cum plurimis optimisque viris deseruisse. Nec defuit Alcibiadi sapientissima Euripidis admonitio ; in illis enim versibus quos in temerarios bellorum suasores tragicus Theseus jaculatur propriam imaginem levis superbusque Calliæ filius agnoscere potuit.

---

[1] Plutarch., *Alcib.*, c. 11 (Thirlwall. in vol. III, p. 330).

CAPUT OCTAVUM.

DE EURIPIDIS DISCIPULIS ET IMITATORIBUS.

Non Euripides solus sophistarum philosophorumve confusas adhuc et plenas dubii sententias in scenam produxit; eodem enim tempore juniores quidam poetæ exstiterunt, quos Aristophanes et graviores Atticarum litterarum vel Græcæ philosophiæ historici inter Euripidis Socratisque discipulos numeravere. Quorum præcipuus eminuit Agatho ille, quem comici effeminatum Euripidis alumnum et imitatorem effingunt[1], quem Plato a Socrate, pulchrorum juvenum amatore, cultum fuisse memorat[2], quique apud Archelaum regem cum Euripide familiariter vixit. Multas ipse sententias fabulis suis inseruisse videtur; sed adeo pauca supersunt ex iis fragmenta, ut quid de philosophia senserit vix perspicere liceat. Si Aristoteli credimus, optimatum factioni non adversus fuit Agatho, et peroranti causam suam Antiphonti ita favere visus est, ut conversus ad eum popularis ille reipublicæ eversor : « Quæ uni viro probo ac gravi, dixerit, magis quam quæ fortuitæ multitudini placeant,

---

[1] Aristoph., *in Thesmoph.*, v. 135-145. = [2] Plato in *Convivio* passim. -- Apud Agathonem ipsum, a tragœdiarum judicibus recenti corona donatum, festas epulas haberi, ubi de amore disputetur, fingit Plato.

curo [1]. » Nec Euripidis Socratisque discipulum dedecent tria illa fragmenta quæ nobis tradidit Stobæus (XXXVIII, 31, 12, 23). Ibi enim pauper quidam homo, locupletibus invidens et divisa inæqualiter bona indignans, a prudentiore viro sedari videtur, qui sapientiam potius quam divitias suspiciendam et appetendam affirmat. Constat etiam Agathonem, hospitio Archelaï regis fruentem, optima illi suasisse; scilicet ut hominibus se imperare meminisset, nec semper imperaturum. Agathoni ergo libenter crediderim regum et multitudinis impotentiam pariter displicuisse.

Sed inter eos qui optimatum dominationem per fas et nefas constituere tentarunt, audacia ac sceleribus princeps incedit Critias, qui, ut accusant quidam, ut fatentur omnes, Socratis sermonibus adolescens aurem præbuit. De *civitatibus* libros scripserat, quos Spartanæ reipublicæ laudibus refertos fuisse, ex ipsis verbis quæ Critiæ Theramenem insimulanti Xenophon attribuit, conjicimus [2]. Ferebantur quoque illius elegi, ubi temperantiam, pietati proximam, Athenæo teste, celebrabat [3] : tragœdias denique composuit, ex quibus audacissimum et pietati profecto infensissimum fragmentum Sextus Empiricus excerpsit. Hic nempe non, ut Epicurus, Deos negat Critias, in placida domo sedentes, mortalium res et facta curare; sed ipsos Deos nil nisi prudentis viri commentum esse contendit, qui numinis terrore injuriam compescere voluerit. Primos quidem elegantis-

---

[1] Aristot., *Eudem.*, L. III, 5 (τί δοκεῖ ἐνὶ σπουδαίῳ ἢ πολλοῖς τυῖς τυγχάνουσι). = [2] Xenoph., *Hellen.*, L. II, 2. — Vide etiam *Crit. fragm.* proœmium in fragm. trag. a Wagn., ed in Bibl. Didot. = [3] Athen., L. X, § 9.

simi loci versus Euripidi Pseudo-Plutarchus attribuit, duos vero e medio decerptos Eusebius (*Prepar. Evang.*, XIV, 16), et Pseudo-Galenus (*Hist. philos.*, c. 8) clarissimo poetæ pariter imputant. Et reipsa Euripidis *Melanippæ* plura inerant quæ Critiæ temeritatem suscitarent ; ibi enim populares de Deorum justitia opiniones et commenta deriserat[1] ; in *Bellerophonte*[2] autem longius processerat Deosque negaverat esse, non propriam fortasse opinionem expromens, sed ingenio suo obsecutus quod disputationibus in utramque partem institutis tantopere delectatur. — Critias vero num in tragœdiis paucorum dominationem laudaverit perspicue scire velimus ; ea autem de re tacent veterum testimonia.

Theognidem illum, quem ob frigidas fabulas carpsit Aristophanes, inter triginta tyrannos sævissimas partes agentem reperimus. Num ineptis carminibus optimatum potentiam commendaverit superstitum fragmentorum paucitas brevitasque decernere nos vetant ; hunc tamen Euripidi consensisse accepimus, mortales ideo vituperanti, quod nobilitatem quidem laudent, divites vero potius sectentur. Digna profecto nobilitatis fautore sententia, sed quæ Theognidis factorum non satis probabilem rationem reddat. Ipsius enim Euripidis veram de nobilitate sententiam ex uno tantum fragmento perspicere quam difficile sit jam ante cognovimus. Cæterum, quamvis nobilitatem *Supplicum* scriptor magni æstimet, ab evertendo populari rerum statu alienissimus esse videtur ; Therameni nempe forsan propior est ; sed non Critiam et Theognidem probavisset. Ergo, si Euripidi de hoc

---

[1] Eurip., *Melan.*, fr. VI (Didot). — [2] Id., *Belleroph.*, fr. 21. Cit. a Just. Mart. *De Monarch.*

uno consentiret Theognis, non ideo atrocissimum imperium exercere parabat.

Plebicolis nunquam, ut diximus, theatro interdictum fuit, et tragicis poetis Cleophon iste adnumerandus est, furiosus pacis adversarius, et Meletus, qui Socratem arguit discipulorum animis popularium legum contemptum injecisse[1]. Hos quidem amiciores plebi sententias in scena non edidisse tantum, sed prope vociferatos esse libenter credamus; nullo tamen superstitum fragmentorum, nullo grammaticorum historicorumve testimonio compertum habemus. Cæterum populares illi tragœdiarum scriptores nullam carminibus gloriam sibi pepererunt, nec prohibere potuerunt quin penes plebicolarum censores tragœdia remaneret.

---

[1] Vide Cleph. et Met infrag. trag. a Didot editis.

CAPUT NONUM.

QUOMODO ARISTOPHANES CÆTERIQUE COMŒDIARUM SCRIPTORES SOPHISTAS IPSUMQUE SOCRATEM EXAGITAVERINT.

Altera vero Musa prisci moris fautoribus constanter favit; nec in antiqua Atheniensium comœdia quidquam sæpius apparet quam novarum rerum ac doctrinarum exagitatio. Creberrimis ergo comicorum telis Socratem Euripidemque confossos videre est, quos scilicet philosophiæ et disputationum signiferos Aristophanes ubique proclamat.

Quidquid sophistis imputari poterat in Socratem temere congessit, nec iis quidem criminibus abstinuit, quæ ab illo alienissima fuisse constat. Nil enim apud veteres planius declaratum est quam Socratis abstinentia, ditissimos juvenes gratuito docentis; hunc tamen inter eos reponit, qui ære accepto artem suam discipulis tradunt. De rerum natura et siderum vicibus, de causis ante judices perorandis, aut nunquam aut raro verus disseruit Socrates; Aristophaneus autem omnia scrutatur et omnia scrutantibus præest; grammaticos, rhetores, siderum contemplatores, physicos, mathematicos, terræ dimensores instituit; omnium disciplinarum scholam solus habet[1]. Vulgares Deos interdum

[1] Aristoph., *Nub.*, v. 130-216 (ubi Strepsiades scholam Socratis ingreditur et explorat).

Socrates non contemnere nequivit ; quis autem, inter ejus discipulos vel philosophiæ historicos, dixit Deos ab illo omnis providentiæ vel potestatis expertes judicatos esse? Sed quum multi sophistæ, imperfecta adhuc et quasi cruda rerum cognitione superbi, divinam mentem ordinando conservandoque mundo inutilem esse clamaverint, ventumque et turbinem, id est cæcas fortuitasque causas, ad omnia efficienda satis esse, id quoque crimen tot criminum oneri addit Aristophanes, et novo pondere innocuum urget Socratem ; hunc enim Melio Diagoræ quem ἄθεον omnes nominabant, nullo discrimine habito, comparat[1]. Superbiam denique, et avaritiam, et argutias, et omnia corrumpendæ juventutis artificia illi imputat, ut Socrates delirus interdum senex, callidus interdum fur ac præstigiator, semper autem perniciosus civis esse videatur, rectæ menti scilicet, et bonis moribus, et publicæ religioni infestus.

Juvenes maxime Aristophaneus corrumpit Socrates, vel potius libidinibus indulgere cupientes mirum in modum adjuvat. Apud illum enim disputandi et calumniandi argutias ediscunt. Si quis pravos mores lasciviamque vivendi vel sibi, vel aliis excusare velit, vel creditores debita pecunia fraudare, vel judicum effugere manus, vel malam causam agere, ad Socratem festinat, ut se illi præbeat edocendum.

Ipsos senes aliquando cupido incessit perniciosæ artis ediscendæ, sed debilitati annis ingenii infirmitas longius eos progredi vetat. Adde quod rectæ mentis vestigia Aristophanei semper servant senes ; stultissimis eorum, et illis quos recentiores argutiæ maxime decipiunt, semper ali-

[1] Aristoph., v. 830.

quid vetustæ honestatis inest, qua et spectantibus et ipsi poetæ commendantur.

Hos igitur omnino corrumpere non potest Socrates, sed contemptui juvenum objicit, qui sophistica arte illecti, oblatam escam facillimo avidissimoque morsu arripiunt. A sophistis ergo et a sophistarum principe Socrate evocati juvenes in utramque partem causas ita perorare discunt, ut pejor pars semper vincat.

Quam autem in *Nubibus* causam perorari voluit poeta? Maximam scilicet, et quæ succrescentis vicissim civitati juventutis præcipue referat; quum antiqui ac recentiores puerorum institutores inter se in scena decertent. Qualis est igitur antiqua illa, quam requirit Aristophanes, institutio? Ea nempe quæ, ut nunc dicimus, auctoritati ac fidei præsertim innitatur. Pueri olim quid sit virtus ac fortitudo, quid sint Dii debitusque Diis cultus argute disputare ac definire non docebantur, sed a teneris annis carmina discebant, Deorum religione virtutisque incitamentis plena. Hos, membris exercendis diu intentos, a foro et judiciis amovebant parentes ac magistri. Si quis eorum corporis et animi mollitia peccaverat, si quis, vel in carminibus canendis, parum viriles delicias sectatus erat, tergo statim plectebatur. Seniores colere, coram magistris tacere Spartano prope ritu cogebantur. Ita honestis artibus imbuti, Deos esse non negabant, fœdis amoribus corpora non polluebant, nec disputabant inter se num ipsa honestas vanum sine mente nomen esset[1].

Nunc autem, inquit Aristophanes, nil iis voluptate et præmaturis honoribus potius est. Ad forum et judicia, de-

---

1 Aristoph., *Nub.*, v. 961-985.

sertis gymnasiis, properant[1], veterum carmina dedignantur recte facere docentia[2], vitam sine scortis non vitalem esse et arbitrantur et disputando probant[3]; senes jocis, calumniis, delationibus, omni denique injuria lacessunt[4]. Patrem deridunt, si per Deos serio juravit[5], si domesticum Jovem testatus debitæ sibi pietatis ipsos admonet. Jovem enim esse, et fulmina jaculari, quis credat, nisi veterum hymnorum stulti cantores[6]? Quis Diis carus esse studeat, qui pio castoque juveni Peleo nil præter gladium dederunt, quum forenses versutias, Cleone, Phæace, Hyperbolo ducibus, Socrate vero ac Prodico magistris, excolenti, omnibus deliciis diffluere liceat[7].

Hanc quidem ad voluptates viam Aristophaneus Socrates non ipse sequitur, sed impune sequi alios docet; ipse enim asperam pauperemque vitam, pannis involutus, nudo pede, crine incompto, supercilioso vultu agitat; ineptiis scrutandis animum cum paucis discipulis oblectat[8] et vitiorum excusationibus exitialique facundia juventuti tradendis pecuniam famamque sibi parat. Quantum a civitate periculum depellatur, si Socratis domus, vel φροντιστήριον, in qua tot ridicula meditantur adolescentes, pio incendio deleatur, quod sophistas deinceps doceat « Deos non contemnere! »

Hæc omnia in *Nubibus* miro sale condiit Aristophanes, nec usquam in hac fabula vis comica languescit; non possumus tamen non penitus horrere quoties Socratis carcerem

---

[1] Aristoph., *Nub.*, 1002-1005. = [2] Id., ibid., 1355-1368. = [3] Id., ibid., 1071-1075. = [4] Id., ibid., 1417. — *Acharn.*, 675-690. = [5] Id., *Nub.*, 1470-1473. = [6] Id., ibid., 399-401. = [7] Id., ibid., v. 1063-1065. = [8] Id. ibid., 358-363.

et cicutam recordamur, hoc ipso impietatis crimine oppressi.

Quid de sævissimo tot jocorum exitu poeta censuerit ignoramus. Jampridem firmissimis argumentis refutata est Aristophanis illa, quam grammatici finxerant, cum Anyto Meletoque societas[1] : tertio enim et vicesimo ante Socratem interfectum anno, *Nubes* primum commissa est. Quamvis tamen à populo parum studiose excepta fuerit, multorum animos non dubito ad insectandos philosophos hac fabula præparatos esse. Quum, eversa triginta tyrannorum potestate, ad veterum mores et instituta redire voluit civitas, et seculi illius quo floruerat Aristides aliquam imaginem referre, Socratem, ut prisco Deorum cultui infensum, facile denuntiaverunt inimici. Nec uni factioni tantum scelus imputaverim : homines enim moribus et opinione multum inter se diversos Socrates, ut opinor, offenderat. Aliis ejus gloria invidiam injecerat; alii urbanos simul acutissimosque jocos ulcisci gestiebant; quidam popularis inscitiæ contemptori jamdudum irati erant; nec pauci fuerunt qui antiqua religionis fundamenta ab eo concussa, et impii hominis supplicio Diis satisfaciendum esse, Aristophane testante, crederent. Ita multiplici conjuratione Socrates oppressus periit. Quod quidem non affirmaverim ab Aristophane serio exoptatum esse; at quam periculosum sit injustis criminibus in aliquem conjiciendis ludere nullum clarius exemplum demonstravit.

Cæterum non Socratem tantum, et eos quos philosopho-rum sophistarumve nomine decoraverunt posteri vel notave-

---

[1] Secundum Arg. *Nub.*

runt, exagitavit Aristophanes. Quisquis doctrinam hactenus ignotam sectabatur, et cum egregiis illis ingeniis societatem iniverat, quæ cuncta scrutari studebant, comici poetæ flagello mulctatus est. Idem ille Aristophanes, quum Atheniensibus inordinatos fastos exprobravisset[1], Metonem, qui astrorum cursu observato tot errores emendaverat, inter expellendos urbe præstigiatores reposuit[2].

Adversus Socratem ac philosophos non minus junctum procedit quam adversus plebicolas comicorum agmen. Hanc conjurationem Aristophanis Græci interpretes et philosophorum historicus Diogenes demonstraverunt, tot Eupolidis, Amipsiæ ac cæterorum fragmenta colligendo, quæ Aristophaneis jocis mirum in modum consentiunt. Ne credas igitur sola in *Nubibus* furti insimulatum fuisse Socratem; si enim Eupolidi, Aristophanis æmulo inimicoque, fidimus, hydriam philosophus in palestra subripuit[3]. Amipsias, paupertatem asperamque Socratis vitam deridens, magnam tamen ei laudem concedere cogitur, scilicet quod, tanta egestate pressus, nemini unquam adulari potuerit[4].

Cæterum non primus inter sapientes Socrates exstitit, in quem comicæ sagittæ contortæ sint. Jam Diphilus quidam, obscurus fama, ac si interpretis Græci testimonio credimus, ne eruditis quidem bene notus, Bœdam philosophum, non minus ignobilem, acri libello exagitaverat[5]. Cratinus autem ille, qui Pericle civitatem regente, Athenienses comœdiis oblectavit, Hipponem philosophum in *Speculatoribus* (Πα-

[1] Aristoph., *Nub.*, v. 615. = [2] Id., *Am.*, v. 991-1020. = [3] Schol. Aristoph. in *Nub.* ad vers. 179. = [4] Amips. a Diog. Laert. cit. in L. II, c. 27, fr. 1 ex *Connо* (in Bibl. Did.) = [5] Schol. Arist. in *Nub.* ad v. 96.

νόπτας) non leviter attigerat, ineptasque illi de cœlo ac sideribus opiniones imputaverat, quas demuo Aristophanes Socrati immerito exprobravit[1]. Illi igitur probandi sunt grammatici, qui ante commissam *Nubes* jampridem inter philosophos ac comicos poetas inimicitias ortas esse referunt. Non negamus quidem huic poetarum odio nova incitamenta ipsum Socratem addidisse, quum obscena comœdiarum joca vituperaverit, et istiusmodi ludicro rarissime interesse voluerit : sed priusquam Aristophanes poeticum curriculum ingrederetur, belli signum jam increpuerat; et in ea re, ut sæpe alias, privatæ simultates parum valuissent, nisi majora fuissent, et communia multis, certandi principia.— Si reliquas Aristophanis fabulas evolverimus, Socratem in *Vespis*, *Avibus*, *Ranis*[2], acerbe quidem, sed obiter attingi videbimus; in *Nubibus* enim tam probe, ut aiunt, philosophum exornaverat, ut adversus eum, post tantos assultus, nihil fere tentandum superesset. Qui autem fieri potuit ut in Platonis *Convivio* Socrati, quem tot spiculis transfixit, assideat Aristophanes? Id quoque non minus admiror, si apud Agathonem, quem stupri ac mollitiæ toties in comœdiis notavit, lætus unquam ac rideus voluerit epulari. Nemo sane nobis in tali cœtu magis inexspectatus occurrit quam Aristophanes. Incepta vero. sophistarum in morem, inter convivas disputatione, quis non stupeat Aristophanem philosophica rabie contactum[3] se profiteri? Quid igitur sibi vult hæc perpetua philosophiæ, rhetorices, disputationum argutiarumque exagitatio? Ullumne unquam mirabilius apparuerit humanæ inconstantiæ exemplum?

---

[1] Schol. Arist. in *Nub.*, ad v. 96. = [2] Aristoph., *Vesp.*, v. 1038-1042. — Ad v. 1553 et v. 1295 (in Chærephontem). *Ran.* 1491. = [3] Plat. *Conv.*

Ego vero talia narranti Platoni prorsus diffido. Socrati enim et Agathoni, post commissam *Nubes*, amicum Aristophanem fuisse non opinor; sed Platoni cur comicum poetam, magistri sui acerrimum cavillatorem, non odisset, probabiles causas non defuisse.

Illud enim quod inter optimates de novis opinionibus ac disciplinis ortum dissidium memoravimus, quum maxime Plato floreret, jampridem desierat; vicerat philosophia et totam optimatum factionem invaserat. Plato igitur a comicorum jocis nil quod metueret habebat; imo, quum eadem in *Erechthei* populo vituperaret, quæ toties in scena deriserat Aristophanes, illum inter cæteros vates eximio amore amplexus est. Nonne Dionysio popularem reipublicæ statum noscere cupienti comœdias ejus misit[1]? Nonne Aristophanem mortuum plena leporis laudatione prosecutus esse dicitur[2]? Id unum scilicet recordabatur, populare imperium ab eo acerrime vituperatum esse. Antiqui vero mores, quos ab irrumpente philosophia vindicare tentabat comicus, Platoni non displicebant; priscam nempe modestiam qua ante Medica bella multitudo usa erat octavo de *Legibus* libro laudat et requirit[3]. Quumque Aristophani consentiat, morum corruptelam ad pravam philosophandi ac disputandi rationem referenti[4], non idem huic malo remedium opponere velit. Suadet enim Aristophanes ut de medio philosophia tollatur; at Plato veram ac salubrem quamdam disputandi viam esse contendit, cujus repertorem Socratem admirandum nobis sequendumque in omnibus libris proponere solet.

---

[1] Prol., de com. XI (ed. Didot). = [2] Id. XII et XV (ed. Didot). = [3] Plat., *de Leg.*, L. VIII. = [4] Ibid., *de Rep.*, L. VII, sub finem.

Quod quidem mortuo Socrate jam dubitari desiit ; pugnantes enim inter se philosophi, et de maximis rebus multum diversa sentientes, Socraticæ tamen dialectices hæredes esse volebant. Aristophani ergo facile Plato jam senior factus ignovit quod philosophiam exstinguere frustra tentaverat, et sophistas ac plebem ab eo derideri tantummodo meminit.

Præterea ad Platonici *Convivii* varietatem multum confert inductus Aristophanes, et clarissimorum virorum disputationem festivissima ac prope scurrili fabula facete distinguit. Is autem Plato erat qui dialogi exornandi causa historiæ fidem excedere non dubitaret.

At idem in defensione Socratis magistrum ostendit judices hortantem ne comœdiarum scriptoribus credant studiosos sapientiæ viros impietatis accusantibus [1]. Et veritatis, ut historicum decet, observantior Xenophon Syracusanum histrionem in Convivium suum inducit, Aristophaneis jocis Socrati insultantem : « Nonne tu ille es, inquit, qui pulicum saltus dimetiendo delectaris [2] ? »

Concedamus tamen Aristophanem aliquando Socrati ita amicum fuisse, ut illi Euripides violatam amicitiam exprobrare voluerit. Quam enim laudem sibi tribuit Euripideus ille Hippolytus, adolescentium exemplar ? « Erga amicos, inquit, sive absint, sive illos in conspectu habeam, eumdem me præbeo, nec eos unquam derisi [3]. » Quod quidem Græcus interpres ad Aristophanem spectare suspicatur, quamvis prima Aristophanis fabula vel post Hippolytum coronatum, vel eodem ferme die docta sit [4].

---

[1] Plat., *Apol.*, c. 2 (ed. a Schneid. in Bibl. Didot). = [2] Xenoph., *Conviv.* = [3] Schol., Eurip. ad *Hippol.*, v. 1000-1001. = [4] Arg. Eurip., *Hippol.*

Hanc ergo opinionem fac veram esse, et Aristophanis vita nil fuisse inconstantius ; ejus tamen comœdiam nemo negabit in exagitanda philosophia novisque opinionibus secum semper constare. Nullam ejus, mehercule, nullam alius comici fabulam novimus qua philosophia laudetur, et indictum semel sapientiæ studiosis bellum Attica Thalia usque ad extremum exsequi voluit.

CAPUT DECIMUM.

QUOMODO ARISTOPHANES EURIPIDEM EXAGITAVERIT.

§ 1. — *In Acharnensibus, in Pace, in Nubibus et in Cereris pervigilio.*

Hanc infensæ comœdiæ pertinaciam nemo Euripide plenius expertus est. Neminem enim majore telorum varietate poetæ lacessiverunt. Multa quidem hujus belli monumenta periere ; si tamen ea quæ ex Aristophane supersunt attente legerimus, Annibalem Mithridatemque in impugnandis Romanis non plura movisse vel excogitavisse fatebimur, quam in deridendo Euripide Atticæ comœdiæ principem. Quisquis autem ea meminerit quæ de tragico exposuimus, non mirabitur quod sophistarum amicus et sophisticæ, ut ita dicam, tragœdiæ clarissimus auctor tantum in se odium concitavit. Imo antiqui moris defensoribus multo magis quam ipse Socrates displicere potuit. Ad rectum enim et honestum incertas, ut primum videbatur, Socratis interrogationes tendere quis non intellexerit ? At quo spectet Euripides tot in utramque partem disputationes, tam varios tragicarum personarum mores, tam variam bonorum malorumve fortunam fingendo, ita dubitamus, ut eum aliquoties magis judicemus athletam fuisse Socratica ratiocinandi palæstra exercitatum, quam gravem utilemque Socratis adjutorem.

Eum ergo minus indignamur ab Aristophane lacessi; et quamvis comici poetæ injustitiam non agnoscere nequeamus, gaudemus tamen quod genuinam tragicæ Musæ pulchritudinem, sophisticis sæpe Euripidis ornamentis corruptam, ulciscitur.

In *Acharnensibus* jam bellum indicitur, sed intra arctissimos terminos circumscribitur adhuc certamini campus; Euripidis enim mater olerum mercaturæ addicta, et tragœdiarum subtilitas, et vulgaria quibus uti solet ad eliciendos fletus artificia tantummodo deridentur[1]. In *Equitibus*[2], uno versu attingitur; in *Nubibus*, quum publicos mores arguatur corrupisse, gravissimum jam crimen sustinet. Hic enim egredicns Socratis ludo juvenis et novis disciplinis depravatus turpia Euripidis carmina, ubi fratris ac sororis incesti describuntur amores, misero patri decantare gaudet : tum percitus horrore senex Euripidem exsecratur et unanimam istam sophistarum recentiorumque poetarum in senes ac prisca instituta conjurationem chorus deplorat : « Ubi nunc Simonides, ubi Æschylus, insignes poetæ et virtutis semper amantissimi, et tot salutarium sententiarum auctores[3] ? »

In *Pace*[4] quidem, Euripidis versibus minus turpis nota inuritur; respuuntur tamen ut *forensibus ac judiciariis oratiunculis* referti, illis scilicet quæ jus ac fas in judiciis pervertunt, et discordias inter cives ac populos movent.

In *Vespis* autem leviter ridetur Euripideæ Inus miserabilis species[5].

---

[1] Aristoph., *Acharn.*, 394-479. = [2] Id., *Equit.*, 19. = [3] Id., *Nub.*, 1377 et sqq. = [4] Id., *Pac.*, 532-534. = [5] Id., *Vesp.*, v. 1413-1414.

Jam vero totam illam comœdiam, quæ *Cereris pervigilium* inscripta est, ridiculus et vafer implet Euripides. Hic sine intermissione exagitatur obruiturque : hic effeminato Agathoni amicissimus fingitur, et ab eo muliebrem ornatum mutuatus quo ad exsequenda consilia egeat ; hic sacra mulierum arcana, infinitis versutiis instructus, speculatur ac polluit ; hic omnes, impius veluti Proteus, species ac personas induit ; hic publicæ religioni infensissimus declaratur.

Audiamus enim pauperrimam illam coronarum artificem, quæ quantas ab Euripide adempti sibi victus pœnas repetere gestit! « Antea, inquit, vix quidem vitam sustentabam, sed vivebam tamen. Nunc vero, quum tragœdiarum iste commentis Deos non esse viris persuaserit, ne dimidiam quidem corollarum partem vendimus [1]. » Grave crimen, ut scimus, quamvis innumeris facetiis insertum sit! Attamen hac fabula Euripidem magis contemptui civium quam iræ objici censeo : tam levis est enim accusantium mulierculorum auctoritas, tantam ipsæ lasciviam sacris Cereris commiscent, ut inter tot scurras ac derisores Euripides tantummodo paulo versutior scurra ac derisor esse videatur.

§ 2. — *In Ranis.*

Ad *Ranas* tandem venimus, in qua Euripidem non paucioribus criminibus oneravit Aristophanes quam Socratem in *Nubibus*. Hic vetus illud renovatur priscæ ac recentioris disciplinæ certamen, quod prima jam Aristophanis fabula depictum fuerat ; hic quidquid delirat præsens Athenien-

---

[1] Aristoph., *Thesmoph.*, v. 415 et sqq.

sium ætas miser plectitur Euripides. « Unde fit nempe ut vel humillimus quisque civis omnia circum speculari, scrutari, suspicari ac subodorari gaudeat? Ut se invicem denuntient omnes, et calumnientur, et perversa facundia subruant[1] » ? Ex Euripide hæc omnia fluxerunt, qui curiosos, et disputandi amantissimos, et loquaces viros in scenam inducit. Postquam ejus agi tragœdiæ cœptæ sunt, gymnasia vulgo deseruntur ; ad subtiles argutias, ad garrulitatem turpissimaque stupra tota se convertit juventus[2]. — Militare jam periit apud Athenienses studium ; nulla jam bellica virtus in eorum animis versatur ; nemo jam Palladis arma et ludos exercere novit[3]. Quæquidem vitia docuit Euripides, a quo cives penitus corrupti, disputant, ratiocinantur, nec quidquam boni perficiunt. — Cur nulla nunc reverentia superiores ætate vel dignitate viros prosequuntur adolescentes ? Nempe Euripides ab initio tragœdiarum. reges et reginas, et servos et ancillas promiscue disserentes in scenam impellit, et ut plebi aduletur, regum negotiis plebeios ac famulos immiscet[4]. Cur tam facile pejerant homines ? nisi quia Hippolyti responsum omnes didicere : « Lingua quidem, non mens, juravit[5]. » Hanc vero humanorum affectuum rerumque picturam, quæ tantam Euripidi admirationem conciliat, bonis artibus exitialem judicat comicus. Prostitui scilicet, et incesto pollui, et mortem sibi consciscere a Phædra, Macarea, Sthenobeaque feminæ docentur[6]. Mendaces autem Telephos et miseriam deplorantes imitantur viri, ac falsa paupertate se involvendo, publica munia detrectant[7]. At

[1] Aristoph., *Ran.*, v. 954-956-958. = [2] Id., ibid., 1069-1071 = [3] Id., ibid., v. 1079-1088. = [4] Id., ibid., v. 949-952. [5] Id., ibid., v. 1471. = [6] Id., ibid., v. 1043. = [7] Id., ibid., 1063-1066.

turpibus istis commentis quanto præstant, si Aristophani credimus, sublimia Æschyli præcepta! Defensum quidem ab antiquo poeta Areopagum non commemorat *Ranarum* scriptor, sed eum laudat quod utilia semper moribus unaquaque fabula significaverit, quod ea quæ in hominum natura infirma vel turpia sunt prudenti silentio texerit, quod poetam in docendis viris non minus gravem et cautum esse debere censuerit, quam in pueris pædagogum [1]. Non ille patrios Deos debito cultu fraudare, et nova Numina, Solertiam scilicet, et Facundiam, et Æthera jurare [2], non in foro et disputandi palæstris tempus consumere, non in rebus publicis versatili, ut Theramenem, ingenio uti docet [3]; sed plenis Marte tragœdiis accendit animos, et arma fremere, arma poscere juventutem cogit [4]. Hoc præsertim laudat Aristophanes, qui, ut decoram pacem inter Græcos conciliari cupit, ita ignavos juvenes vulnerum ac mortis metu clypeum abjicientes pertinaci flagello verberat [5]. Cæterum, si inter pugnaces loquacesque viros eligendum esset, pugnaci Lamacho manum porrigere multo mallet quam loquacibus Euripidis Socratisque discipulis. Quid enim mali ex ista pravorum magistrorum schola non manavit? Nonne descendentem in Inferos Euripidem tota parricidarum turba, velut patronum ac defensorem, unanimo plausu salutavit [6]?

His omnibus criminibus quomodo Euripides ansam præbuerit, jam satis dictum puto; jam incertas illas in utramque partem sententias ac disputationes attigi, et quæ Euripides, etsi populari insaniæ parum favet, populari tamen libertati

[1] Aristoph., *Ran.*, 1053-1056. = [2] Id., ibid., 889-893. = [3] Id., ibid., 967-970. = [4] Id., ibid., 1021-1022-1025-1026. = [5] Id., *Pac.*, 673-675; 1296-1302. = [6] Id., *Ran.*, 771-776.

et æqualitati concessit. Nec illi exprobravimus quod philosophatus est, sed quod inopportunam et periculosam immiscuit tragœdiis philosophiam, imo quod sæpe philosophica magis disputatione ludere quam verum sincero studio inquirere videtur. Omnia autem ejus vitia quis ab Aristophane portentosum in modum aucta esse non sentiat? Si comicum audire velimus, inter tot dubias sophistarum de religione ac moribus quæstiones, pessimam semper sententiam amplexus est Euripides. Debitam vero humanorum affectuum descriptioni admirationem quam injuste recusat Aristophanes! Nec quidquam profecto magis obstupemus, quam quod impudicitiæ corruptarumque mulierum arguit Euripidem. Quid enim? Ille Aristophanes impudicum quemquam vocare audet, qui tres inter superstites fabulas obscena festa effingendo concludit[1]; qui senes suos meretriculis innixos, et fœdus cum Lacedæmoniis ictum impurissimis voluptatibus celebrantes inducit; qui Lysistratam scripsit; qui ridicula verba ad has ineptias vividius exprimendas excogitavit! Cur severum illud Æschyli sui præceptum ipse non curat exsequi : « Quod verum simul ac turpe est poetam oportet celare[2]? » Cur eximia vatis officia, quæ tam recte explicat, ipse deserere solet? Præclare quidem in *Nubibus* antiquam disciplinam priscæque juventutis integros mores collaudat, præclare a saltatricium blanditiis juvenes arcere tentat; at verecundiam iis quanta verborum invere-cundia præcipit! Nonne egregia illa carmina legenti Bolæi nostri versus succurrit :

Non placet impura laudari voce pudorem[3].

---

[1] Aristoph., *Acharn.*, *Lys*, *Pax*. = [2] Id., *Ran.*, v. 1053 = [3] Bol., *Ars poet.*, l. II, v. 180.

Sed quomodo Sthenobea Phædraque mulieres corruperint operæ pretium est audire : « Feminas ingenuas, inquit Aristophaneus Æschylus, et ingenuorum virorum uxores Bellerophontium tuorum ita pudere coegisti ut cicuta se interficerent[1]. » Hic ergo Aristophanem eadem fere Euripidi exprobrare opinor, quæ *Vertherii* et *Renati* scriptoribus vitio verterint patres nostri; scilicet quod voluntariæ mortis cupidinem agitatis mentibus injecerit. Haud placet ea Aristophani mulier, quæ postquam peccaverit, amore suo diu pascat animum, æternumque vulnus sub corde foveat. Non ita quidem agat Lysistrata, fortis illa Græcorum conciliatrix; at si libidini semel indulsisset, mox ad domestica rediret officia, nec præteritæ culpæ memoria animum consumi pateretur.

Juveni etiam, ut mihi videtur, eadem fere dicit Aristophanes, quæ Horatianus ille Cato[2] : Macte animo... huc juvenes æquum est descendere ; non alienas permolere uxores.. Pudicum te quamdiu licebit servare studeas, et meretriculæ lenociniis oculos non intendere[3] ; si tamen humana superaverit animum natura, ne ingenuas domos amoribus perturbes, neve sophistarum argumentis adulteria excusare coneris.

Cur vero Æschylum Aristophanes elegerit antiquæ disciplinæ propugnatorem, ex iis quæ de Æschylo diximus, satis manifesto apparet; cæterum quidquid in carminum compositione et rerum tragicarum inventione peccaverit Cynegiri frater comici acumen non fugit. Quemadmodum

---

[1] Aristoph., *Ran.*. 1050-1051. = [2] Horat., *Sat.*, L. I, S. 2, v. 32 et sqq. = [3] Aristoph., *Nub.*, v. 996-997.

Niciam ad capessendam rempublicam hortatus, timidam tamen Niciæ mentem plurimis locis illudit, ita, dum Æschyli sesquipedalia verba, ut rebus ac personis bene convenientia, excusat, tantam magniloquentiam et tam portentosa commenta leniter subridendo castigat. Quum igitur Æschyli laudibus benignum hunc risum miscuerit, de clarissimo Græcæ tragœdiæ parente rectissimum fecit judicium.

At ipsum Euripidem pluris solito interdum æstimasse videtur Aristophanes : in amissæ enim cujusdam fabulæ fragmento, se Euripidis more multa componere fatetur, sed minus *forensia* (ἀγοραῖα), id est, ut mihi conjicere fas est, subtilibus argumentis et verborum cavillationibus minus referta[1]. Mox autem eum videbimus in *Pluto* ad defendendam paupertatis laborisque causam ab Euripide quædam optima mutuari.

[1] Aristoph. fr. 397, ed. a Dubn. in Bibl. Didot.

CAPUT UNDECIMUM.

DE BELLO AB ARISTOPHANE IIS QUI NOVAS RES SOMNIABANT INDICTO.

§ 1. — *In Avibus.*

Cives autem ad bonam mentem reducere volenti non sophisticus tantum disputandi morbus impugnandus erat : jampridem enim Atheniensium animi, quum de rebus publicis gerendis et civitatibus constituendis meditari assuevissent, mira somnia somniare gaudebant. Atticæ scilicet civitatis species, nulli Græcæ civitati similis, excogitabatur; imo alius terrarum orbis, ubi mitius imperium esset, laxior libertas, major rerum copia; ubi nemo vivendi commodis egeret, et pulsa in æternum paupertate, generis humani inimica, labori nemo incumbere cogeretur. Veteres ergo comici, Aristophane priores, eas regiones in scena effinxerant, quas *Utopiam* et *Cocaniam* recentiores nuncupavere. Huc redeunt usque Teleclides, Crates ac Pherecrates, qui et ante Aristophanem et cum ipso vixerunt. Quid vero sibi poetæ in his proposuerint, utrum tantummodo populum oblectare voluerint, an præsentium ei miseriarum solamen afferre, meliorem scilicet vitæ conditionem ostendendo, qua per paucas saltem horas ipse sibi frui videretur; an vigentem eo tempore rerum statum deriserint; an ejusmodi somnia vel inepta vel periculi plena esse demonstraverint, paucis ex

superstitibus fragmentis nunquam plane dignoscemus. Pherecratem tantummodo novimus in illa quæ *Sylvestres Homines* (Ἄγριοι) inscripta esset fabula, homines finxisse quos humanorum vitiorum tæderet, quique rempublicam suo arbitrio instituerent, ubi nemo quidem serviret, sed durissimum quodque opus a feminis perficeretur[1].

Hæc in scenam anno ante Christum 420[2] producta sunt; sexto autem post Ἀγρίους anno[3], quum Atticæ naves et exercitus ad Syracusas periissent, Aristophanes, incredibili rerum excogitandarum audacia usus, in *Avibus* duos Atticæ cives fingebat inter cœlum et terram volucrum rempublicam urbemque condere, unde solemnia Athenarum tædia expellerentur. Hic ergo nec delatores admitti fas est, nec avidos litium et criminum plebicolas, nec subtiles disputandi magistros, nec frivolos siderum contemplatores, nec insulsos poetas, nec avaros mendacesque hariolos, nec decretorum venditores; vel, si quando prodire ausi sunt, flagellis cito mulctantur. Quæ ergo vitia prioribus fabulis singula exagitavit, hic universa castigat. Ille autem Pisthetærus, qui in *Avibus* præcipuas partes agit, ita ineluctabili civitatis Atticæ tædio captus ostenditur, ut publicos mores, et forenses in primis, emendari posse prorsus desperet. Quum tamen eo præsertim tempore maximum iis periculum populus intentaret, quos adversus popularem rerum statum conjurasse suspicaretur, sæpius et sedulo cavit Aristophanes, ne in hujusmodi suspicionem incideret.

Primum ita ridiculo argumento censuram suam includit,

---

[1] Pherecr. fr., ed. a Bothe in Bibl. Didot. = [2] Athen., V, p. 218. = [3] Clinton. *Fast. hell.* Aristoph. *Av.* arg.

quodque veri terminos tam procul excedat, ut magis sibi rerum fingendarum voluptatem quæsivisse, quam serii aliquid proposuisse videatur. Ipsum vero nimii erga optimates studii crimen occupat ac refellit, non gravibus quidem argumentis usus, sed jocis, et nescio qua insaniendi specie, quæ insectantem recta via depellat, et irascentem mitiget, et graves ictus inferre tentantem eludat. Pisthetærum nempe interrogat Upupa num civitatem quærat ubi dominentur optimates. At ille : « Sellii filium (Aristocratem) nimis odi. — Quam igitur tibi urbem habitandam deligas ?—Eam scilicet, in qua nihil agendum sit, nisi ut offerentibus sese conviviis ac voluptatibus quotidie indulgeamus[1]. »

Quibus quidem telis petitos toties antea pleblicolas, et delatores, et perversos adolescentes, et sophistas, in hac nova comœdia confixerit Aristophanes, non longo sermone prosequar ; nec quomodo propositi tenacissimus manserit, popularem rerum statum non evertere quidem tentans, sed ejus vitia tam vividis coloribus describens, ut populum a jure dicendo decretisque conficiendis paulatim deterreret ; in his enim si populus comico voluisset obsequi, primariis civibus summa rerum sensim commissa fuisset. Quoniam vero hæc omnia jam attigimus, aliud quiddam, quod non attentis adhuc oculis inspeximus, nobis potius perpendendum occurrit.

Meminimus nempe quanta ira infestos veteri Deorum cultui sophistas insectatus sit. Quis ergo non credat Aristophanem pios semper honores Diis immortalibus solvere, nec quidquam in eos audere licentius ? At nemo forsan liberio-

---

1 Aristoph., *Av.*, v. 124-125.

ribus jocis usus deridendos populo Deos propinavit. Publicæ primum religionis ministros et oraculorum cantores quoties jactantiæ, et vanitatis, et avaritiæ, non in *Avibus* modo, sed in omnibus fere fabulis arguit ! Recordemur enim illas Delphicæ linguæ imitationes ac παρωδίας festivissimis *Equitum* diverbiis intermixtas[1]; et hariolum Hieroclem, qui populo et plebicolis et Lacedæmoniorum stultis adversariis spirantia bellum oracula effutit. Hinc magnæ mercedes, hinc lauta in Prytaneo convivia : victis igitur plebicolis, metuit Hierocles ne sibi tot commoda deficiant; exquisitissimaque promit de fugienda pace oracula. Mox autem, allatis in Pacis honorem epulis, exta sibi, quasi debitam sacerdoti partem, frustra vindicat; quumque culinæ nidore ad Trygæi domum allectus sit, hostiarum pelles saltem subripere tentat[2].

Quid Æsculapii arcana commemorem, in *Pluto* tam jocose detecta, et sacerdotem aras circumeuntem, et oblata Deo liba sacco injicientem ? Hæc enim, quamvis religionem ipsam, læsis sacerdotibus, facile attingant, patrii tamen cultus vindicem non omnino dedeceant; nam qui humana mendacia divinis ritibus adjuncta denuntiat non ideo numen violaverit; imo antiquam religionis integritatem restituere velle forsan videbitur. At non præstigiatores tantum et plenos vanitatis sacerdotes insectatur Aristophanes; sed in Deos ipsos quid non audet effrenata ejus petulantia ? Quam ridicule illos exornat ! In *Pace* enim Mercurium inducit parva Deorum absentium pocula servantem, et oblato

---

[1] Aristoph., *Equit.*, v. 197-201. Ibid, v. 1101-1095. = [2] Id., *Pac.*, v. 1118-1119.

auro promissisque honoribus sic corruptum, ut mandata Jovis frangere non dubitet. In *Avibus* vero Deorum hominumque pater ac dominator, feminis et sacrificiorum nidore privatus, quum duplex illud jejunium non diu sustinere possit, Pisthetæro et volucrum generi tyrannidem cedere cogitur[1]. Sed quam ridiculam prius legationem obeunt tres Dii, Neptunus, Hercules ac Triballus, de fœderis conditionibus missi[2]! Incredibilem profecto Pisthetæri audaciam, Herculi dicentis : « Si pater tuus mortuus erit, tu nothus patrimonii particeps non fies ! » Hercules vero fumantibus ollis ac visceribus plane captus quam facile patris patruique potestatem prodit ! Haud secus in *Pluto* esuriens cum Diis Mercurius omni ope flagitat ut Chremylo servire ac serviendo victum parare sibi liceat. Hic, egenti mercenario similis, quidquid callet vicissim promere tentat, et varias artes homini offert : « Ostiarione eges ? Mercurius ostiarius ego. An versuto fure ? Nonne Mercurius dolosus nominor ? » Felix, nimium felix, quod inter tot artes, una inveniatur quæ mortalibus adhuc prodesse valeat !

Sed quæcumque in homine risum simul contemptumque movent Bacchus iste Aristophaneus in se gerit, qui amare tantum et potare novit, qui descendens ad Orcum, si quid vel levissime increpuit, trepidat, timoremque sordida nimis veste declarat ; quem in periculo, vel potius in periculi suspicione, servus suus fortitudine multo antecellit ; quem vero subito erigit parati a Plutone convivii nuntius, et florentium forma juventaque saltatricium. Num talia legentes ridentesque Aristophanem istiusmodi Deorum sincerum cultorem

---

[1] Aristoph., Av., v. 1563-1691. — [2] Id., ibid., v. 1648-1663.

fuisse putemus? Nonne cum Horatio libenter assimilemus, qui quum in satiris humana a Diis non curari profiteatur, in carminibus tamen civibus suadet ut ad Deos diu neglectos animum rursus convertant; per illos enim et stetisse quondam, et nunc stare Romanum imperium. Ambo scilicet videntur antiquam religionem, antiqua numina stulta simul et populi moribus utilia judicasse. Quin etiam Horatium multi apud nos forsan existiment publicæ religioni minus periculi intentasse. Non enim *plebi*, ut ipse ait, sermones et pleraque carmina componebat Horatius; quum equites sibi plaudere satis existimaret. Quibus ergo scriptis plebi Horatius innotuit, nisi sacris illis carminibus, quæ publico apparatu cantari jubebat, mendax ipse Deorum cultor, Augustus? Itaque religiosum tantummodo, vel certe religionis præconem Horatium plebs noverat, non bifrontem hunc Janum, qui inter sodalium epulas, Epicurea plane de Diis sentiebat. At contra Aristophanes *multitudini* deridendos Bacchum, et Herculem, et Mercurium, et Æsculapium, et Neptunum, et Jovem proponebat; idemque *multitudini* patriorum Deorum insectatores sophistas denuntiabat. Euripidem sophistasque nolebat e Jovis fabula vitiis et adulteriis excusationes quærere : ipse autem quo habitu Jovem aliosque Deos effingit, medium aera trajicientes, ut mortalium uxores adeant!

Hæc nobis primum occurrunt, et Aristophanem vel mendacii vel incredibilis levitatis et inconstantiæ argueremus, nisi mox recordaremur hanc Deorum derisionem Atticæ plebeculæ solemnem fuisse, nec ideo, per multos annos, plebeiam religionem imminutam. In his vero temporibus quæ inter deletum a barbaris imperium Romanum ac renascentia quarto decimo post Christum seculo veterum litterarum

studia effluxerunt, quot fabulæ, vel, ut tunc dicebant, *mysteria* acta sunt, ubi sanctissimi cœlicolæ, et ipse pater omnium Deus ridicula agebant ac loquebantur! Tunc tamen homini male evenisset, qui Dei Virginisque matris et cœlicolarum cultum impugnasset. Quis fatuorum pontifices et episcopos ignorat, scurrilesque pompas sacris pompis assimilatas? Summo tamen Pontifici commissas a Deo cœli claves vulgus idem ex animo credebat; quique fatuorum pontificem humeris sublevarant, vel dicteriis cachinnisque erant prosecuti, ut seculare orbi christiano festum redierat, verum Christi pontificem salutaturi Romam properabant. Nunc etiam si quis Neapolitanos alloqueretur, et gravissimis argumentis sancti Januarii sanguinem nunquam divinitus effervere demonstraret, quomodo tot manus sibi intentatas posset effugere? At cunctantem Januarium prodigium ostentare, quantis contumeliis plebs pannosa conspergit! Si quis incæpto suo cœlicolas favere velit, quot cereos ante patronorum imagines accendet! Sin autem res male cesserit, quidquid ex earum historia fœdum ridiculumve colligi potest pius cliens in eos jacere non dubitabit. Hac vero cum sanctis familiaritate uti tantopere gaudet rudis superstitiosaque turba, ut, si eam ad graviorem summi numinis cultum adducere tentaveris, ab ipsa religione potius omnino discessura sit. Atticæ pariter plebeculæ familiares Deos, et proximos mortalibus, et qui interdum se derideri paterentur, necessarios fuisse credam.

Quid ergo de Diis Aristophanes censuerit jam parvi refert; hunc, si velis, concedam, cum doctis viris, et ipso Æschylo, de Jove altiora quam solebat vulgus, animo concepisse; id tantum constat et certum immotumque manet, antiquam eum religionem servari voluisse, nulla externo-

rum Deorum Triballi Sabaziive[1] adjunctione corruptam, nullis labefactatam philosophorum argutiis. Num vero inde colligemus ex his Aristophanis comicorumque jocis nullum populari religioni periculum exstitisse? Imo Euripidis Socratisque et philosophorum conatus comœdiarum scriptores inscii invitique adjuverunt. Si qua enim primorum ordinum juvenibus erga patrios Deos reverentia supererat, numinibus tam scurriliter depictis in dies imminuebatur. Gravissima quidem majestate Æschylus et Sophocles Deos circumdederant, et quamvis Deorum amores ac stupra aperte memorarent, verbis tamen castitatem non violaverant, illis sculptoribus similes qui nuda simul honestaque Apollinis, Bacchi Venerisque signa posuerunt : sed non negari poterat eosdem Deos in tragœdia tam venerandos incedere, et in comœdia tantos risus turpiter dictis factisve movere. « Ergo si Jupiter, inquiebat adolescens, ex Alcmena Herculem genuit, ut Homerus et tragici dicunt, talem eum profecto fecit amor qualem effingit Aristophanes ; libidine scilicet æstuans ac pruriens auras tranavit, mulierem aditurus[2]. At ego quomodo Deum colam quem mihi tam similem rideo? Hunc quidem gestio in amandis feminis imitari, sed vereri non possum. Sin autem talia unquam admiserunt quos hactenus Deos civitas credidit, jam non isti pro Diis habendi sunt. »

Hæc doctiores secum reputabant; hæc in *Republica*[3] Plato repetiit ; quamvis enim ibi Deorum nomina non mutet, patriaque sacra servare videatur, quam longe Platonis

---

[1] Aristoph., *Vesp.*, v. 9-10. *Av.*, 1526-1527. — Cic., *de Leg.*, II-15. = [2] Hæc sentit et Terentianus ille in *Eunuch.* fabula adolescens, v. 584-591. = [3] Plat., *de Rep.* in post. L. II parte et in L. IX initio.

numina a publicis numinibus distant ! Quod si Homericas tragicasque fabulas ut a divina natura abhorrentes philosophus respuebat, quid de comicis Deorum ineptiis flagitiisque judicare potuit ? Quum vero vulgi religionem ridicula comœdiarum commenta doctiorum contemptui magis ac magis objicerent, num credibile erat istiusmodi Deos apud plebem ipsam perpetuo in honore et gratia remansuros ; nec aliquando in infimos ordines principum sensus descensuros esse ? Illos igitur Deos quos a sophistis vindicare videtur Aristophanes, quosque populo non deridendos quidem, sed familiariter habendos præbebat, invitus ipse labefactat et omni auctoritate exuit.

§ 2. — *In Pluto et in Mulierum concione.*

Sed ad ea novarum rerum somnia jam veniamus, quæ Aristophanes in *Pluto et Mulierum concione* præstrinxit ; quas quidem fabulas nobis, in hoc decimo nono post J. C. seculo, gravissima rerum experientia planiores simul fecit et multo jucundiores. Quid enim in *Pluto* Chremylus, in *concione Mulierum* Praxagora moliuntur, quod inter civiles nostræ Galliæ procellas multi non tentaverint, suaserintve ? Quoties pauperem plebeculam proposita divitiarum æqualitate, vel communium bonorum distributione concitaverunt ! Ipsum illum feminei sexus principatum nonne mixta mulieribus ac viris conciliabula flagitavere, vel saltem ut imperium inter utrumque genus æquaretur. His omnibus quid respondendum sit non hic nos exquiremus, sed quid responderit Aristophanes.

In *Pluto* quem anno ante J.-C. 409 primum editum

esse constat[1], vir probus inducitur, id ipsum conquerens quod tam multis nunc quoque iram doloremque accendit; scilicet quod iniqua cæci numinis temeritas bonis viris ac modestis divitias semper recuset, malis vero et impudentibus superfundere gaudeat[2]. Nullam vero huic calamitati Chremylus medelam excogitat, nisi ut opes Deus omnibus pariter largiatur, his tantum exceptis, quos communi largitione pervicax improbitas nimis indignos faciat[3]. Tunc humanum genus, tot miseriis solutum, respirabit; tunc bonis nihil deerit nec ullum impedimentum ullave occurret penuria, quæ infelices obliquis artibus (στροφαῖς) uti cogat. Ita paulatim cum paupertate ipsa morum perversitas e terris fugiet; quos enim vivendi necessitas et malesuada fames corrupissent, ii omnibus nunc rebus diffluunt; qui autem hactenus per scelus dolumve ditescere tentaverunt subita mutatione ita mulctabuntur, ut, ne statim pereant, improbas artes deinceps omittere velint. Qua ratione id effecturus sit senex ante omnia nobis quærendum videtur; quicumque enim tanti incœpti eventus fuerit, quomodo æquari subito divitiæ possint libentissime cognoscamus. Hanc vero quæstionem poetico admodum commento elusit sustulitve Aristophanes; divinitus enim res perficitur, et ad Æsculapium tantæ mutationis laus referenda est.

Ante tamen quam perficiatur a medico Deo prodigium, æquari omnium fortunas vetat Paupertas, imperio suo metuens, et generi humano cui se utilem ac necessariam prædicat. Hujus ergo oratione continetur quod adversus Chre-

---

[1] Schol. Aristoph, *ad Plut.*, v. 173 et 179. = [2] Id., *Plut.*, v. 28-31. = [3] Id., ibid., v. 386-388.

mylum et eos qui talia somniant disputat Aristophanes. Uno quidem argumento, sed omnium firmissimo, utitur Paupertas, scilicet, nisi inter hominum fortunas aliquid intersit, neminem egestate stimulatum ad laborem et artes exercendas conversum iri. Si divites omnes fient, quis telam texere, corium mollire, rotam tornare, calceos fingere volet? Cuncti ergo, quamvis auro opibusque diffluant, rebus ad vitam necessariis egebunt, vel sibi hæc omnia parare cogentur. — At enim servos jubebimus cuncta liberis hominibus elaborare. — Unde autem servos comparare licebit? Quis servorum mercaturam exercere; quis maria ac terras id genus merces quærendo lustrare sustinebit? servorum mercatorem pauperem esse necesse est, ut illis vendendis pecuniam lucrari cupiat. Mutua ergo egestate homines ad mutua auxilia commerciaque cogendi sunt; nil miserius esset quam vir dives aliena ope sic destitutus ut ipse sibi domum ædificaret, lignum finderet, lintea lavaret, domestico denique ministerio solus fungeretur[1].

Hæc Paupertas Chremylo et sociis objicit; quos suo nomine semel pronuntiato terret ac fugat; quique ut tandem animos recepere, omnibus eam argumentis refellere tentant, vel potius contumeliis et exsecrationibus. Eam enim accusant quod miseris mortalibus nil nisi ærumnas, et sordes, et squalorem, et grabatum pulicibus infectum præbeat. Aristophanea vero Paupertas se non mendicorum sociam declarat, laboris autem et industriæ parentem; quisquis scilicet per honestas artes victum sibi comparat severo quidem habitu cultuque utitur, sed non obsitæ pannis Deæ clientibus adnumerandus est[2].

---

[1] Aristoph., *Plut.*, v. 507-584. — [2] Id., ibid., v. 534-618.

Postquam ergo senes insaniæ ita admonuit Paupertas, quid superest, nisi ut consilium omittant, et præsenti rerum statu vivant contenti ; vel si in incœpto perseverarint, multis incommodis impedimentisque puniantur ? Hic autem exspectationem nostram fallit Aristophanes ; frustra enim a Paupertate objurgati oculos Pluto aperiendos curant ; qui luce vix recepta, malos statim deserit, probosque invisere et omni rerum copia cumulare festinat. Res etiam tam bene succedit, ut spoliati delatores amissas subito fortunas lugeant, et deformia illa morum humanorum monstra quæ ex paupertate oriri solent faustis Pluti auspiciis tollantur. Jam enim vetulæ et impudenti mulieri non licet miserum juvenem auro illicere et portentosum, ut ita dicam, amorem sibi emere.

Quem quidem fabulæ exitum Fontanellus noster ægre tulit[1]. « Quid vult, inquit Aristophanes ? Cur nos ita eludit ? Causam enim suam prudentissime Paupertas perorat ; sed a nemine probabilem responsionem accipit ; imo quidquid vetuit prospero cum eventu perfectum videt. Tantam ergo sapientiam deridere gaudet poeta. » Et nos fatemur, si græca comœdia ad certissimam regulam, ut nostra, redigi soleret, alium Aristophaneo Pluto finem futurum fuisse : Paupertas enim aut fabula prorsus abfuisset, aut exsilium suum, ut dixi, multis incommodis ulta esset. Nonne autem recordamur lascivienti poetarum ac populi ipsius ingenio, in vetere comœdia, plurima concessa fuisse ? *Nubium* nempe chorus, qui in principio fabulæ vanitati sophistarum favet, sub fine eosdem argutiarum captato-

---

[1] Fontanelli : *Remarques sur le théâtre des Grecs.*

res pessumdari lætatur. In *Vespis* quoque, judiciis semel relictis, ridicula prorsus et scurrilia gerit Philocleo; quis autem non videt id quod sibi proposuerat Aristophanes hic omitti? Quid enim ad judiciarium Atticæ plebis morbum insanæ saltationes, et Æsopicæ fabellæ, et Carcini proles pertinent? Adde quod omnes Aristophanis comœdiæ, præter *Cereris pervigilium*, festivis epulis, vel sacrificiis, vel nuptiali pompa desinunt, quæ lætitia et hilaritate totam scenam cuneosque perfundant. In ipso illo *Cereris pervigilio*, meretriculæ saltationes et decepti lictoris trepidatio festivissimo tumultu fabulæ clausulam replent. Ergo ejusmodi lusus Aristophanes et comici poetæ in primis sectabantur, utpote oblectandis spectantium animis aptissimos; nec mirum si, sub Pluti finem, proprio ingenio et comicæ consuetudini noster indulget. Præterea Paupertatis orationi idem fere locus, idem color, iidem numeri sunt, qui antiquæ illi παραβάσει, ubi conversus ad populum chorus de republica aperte multa suadebat. Sive igitur in priore *Pluti* editione (ante Christum anno 409) jam paupertas partes aliquas egerit, sive in secunda tantum (anno 389) sublatæ παραβάσεως locum obtinuerit, huic potissimum fabulæ parti spectantes animum attendisse credam, et veram poetæ opinionem hinc certissime collegisse. Quamvis ergo omnes bonos in clausula ditescentes viderent, paupertatem e terris non sine magno periculo tolli posse intellexerunt.

Quid autem comicus populi suasor censeat in *Mulierum concione* apertius perspicere licet: hic quoque insanum novæ reipublicæ consilium perficitur et lætissimo celebratur convivio; at quanta secum incommoda leges illæ afferre possint, ridiculis quidem, sed vividissimis exemplis abunde

docemur. Praxagoræ, fateor, quæ delato semel mulieribus et sibi imperio, cunctas omnium fortunas inter se miscet, Blepyrus conjux infirmiora etiam argumenta opponit quam Paupertati Chremylus. Uxorem enim magis interrogat quam refellit, et inconcussæ ejus audaciæ paulatim cedens, omne regendæ civitatis munus feminas subire æquo animo patitur. Imo, quum et pigerrimus sit, et ut solent Athenienses, novis rebus satis delectetur, se omnium officiorum immunem fieri gaudet, et reipublicæ genus adhuc intentatum experiri[1].

Vincit ergo Praxagora, et omnia jubet in commune deferri; jam non pauci vitæ deliciis fruentur; ex publico enim acervo magistratus feminæ quidquid singulis necessarium erit æquo jure deprompent; Chia vina dives et pauper bibent; vel potius dives et pauper jam inter se non discernentur, quoniam omnia omnium erunt. Quodcumque fortunas communes et æquas omnibus esse vetat Praxagora tanto impetu evertit, ut nisi nobis præsens ætas eadem opinionum monstra ostendisset, Atheniensium errores ab Aristophane ultra quam cuiquam credibile sit auctos esse credamus. Quid vero nostra loquor? Ipse Plato in *Republica* nonne unam certe civium classem, militum scilicet, istiusmodi legibus subjicit?

Jam, Praxagora jubente, communes feminæ fiunt, communes liberi : quæ quidem familiarum officiorumque perturbatio adeo non cives infensos sibi invicem facit, ut contra arctioribus vinculis inter se conjungantur; quum enim iisdem rebus, uxoribus, parentibus ac propinquis utantur,

---

[1] Aristoph., 586-728.

eadem jam velle ac nolle incipiunt. Hic autem, ut in *Pluto*, novis institutis ad bonam frugem omnes redigi videmus. Quis deinceps furtum in alios vel latrocinium exercere velit, quum ipse nullius rei, nullius voluptatis expers maneat?

Sed magna difficultas exstitit, quam in *Pluto* jam Paupertas Chremylo objecerat : unde enim hæc vitæ commoda ornamentaque suppeditabuntur? Quid prodest quod omnes agri publici fiant, si a nemine colantur ; quod in medium omnia bona collata sint, si consumptarum rerum copia nunquam renovetur? Quem scrupulum audax Praxagora uno tantum verbo tollit ; servis nempe omnem laborem, ut in *Pluto* Chremylus, assignat[1]. Facilis autem Blepyrus et ingenii sagacitate parum valens, non respondet, ut in *Pluto* Paupertas : « Quis servos nobis suppeditabit? » At uxoris responsum temere probat, nec ipsa re altius pertentata, ad convivium properat quod feminæ paraverunt.

Quid vero incommodi secum id consilium ferat, mox inter risus et jocos lascivamque lætitiam, apparebit. Primum enim rem perficere non facile est, quum ita homines semet ipsos et sua amare soleant, ut quæ proprio labore pepererunt non gestiant in medium conferre. Pauci quidem, sinceram probitatem spirantes, æqua omnibus jura et commoda facere non dubitant ; sperant nempe aliis eumdem animi candorem inesse ; nec in hoc rerum commercio ullum sese damnum jacturamve passuros. Pauperrimi quoque quibus fere nihil est, totum hoc nihil, ut ait Juvenalis, libenter deponunt; at plerique exspectabunt si forte decretum istud, ut

---

[1] Aristoph., *Mul. Conc.*, v. 651-652.

multa alia, inconstantia populi aboleatur. Quis non rideat illum obedientis novæ legi civis cum incredulo et indocili viro sermonem? Quis ibi perpetuam humani animi naturam non agnoscat, proprii commodi præsertim studiosam, quæque in id unum omnem ingenii calliditatem vertit, ut ex suis quam paucissima dimittat, alienis vero quam maxime fruatur. Vix enim nuntiatur paratum esse convivium onerataque mensas dapibus, idem iste, qui sua domi inclusa diligentissime servat, publicæ comissationis partem sibi vindicaturus accurrit. Quantum ergo afferet Praxagoræ consiliis impedimentum privata hominum avaritia! Huic æquali bonorum partitioni quantam iniquitatem inserent privatæ versutiæ! Semper enim erunt qui alieno sumptu et sudore vivere velint. Quid autem facient auctores novarum rerum feminæ? Num tantam improbitatem insectari et castigare tentabunt?

Mox quidem istius decreti Athenienses pigebit: fac tamen eos in proposito perseverare: multa remanebunt quæ nulla lex, nulla hominum voluntas æqua et paria efficere poterit. Multum scilicet intererit utrum juventute floreat an senectute marcescat femina; quis ergo adolescenti persuadebit ut anum puellamque pariter sectetur? Hanc, fateor, inæqualitatem delere conata est Praxagora, et senectutis deformitatisve incommoda legibus pensare; at si quis nos ea quæ natura inamabilia sunt amare et amplecti cogat, horrendo cruciatu jam afficimur. Quodnam ejus rei argumentum Aristophanes proposuerit vix commemorare audemus; sed ex plurimis aliis exemplis idem colligere liceat: nunquam nempe pulchritudinem turpitudini, industriam inertiæ, solertiam stupori pares fore; quibus igitur placet ut omnia paria sint, eos ipsa natura rerum refelli.

CAPUT DUODECIMUM.

QUOMODO IN REPUBLICA OMNEM VIM ET AUCTORITATEM AMISERIT COMŒDIA.

At quo tempore Aristophanes *Mulierum concione* et secunda *Pluti* editione antiquos mores, imo communem sensum defendebat, jam vetus comœdia in eam quæ media dicitur flecti mutarique cœpta erat. Nempe comœdiam, ut omnia id genus tela, singulæ vicissim factiones formidant, et frangere vel retorquere conantur. Nonne et in Gallia nostra de publicis rebus scribendi jus ac libertatem nunc pleno imperio præditi reges, nunc effrenati licentia plebicolæ, nunc liberæ civitatis præsides, nunc reges quorum potestas intra angustos terminos cohibebatur, nunc imperatores ad omnia licentiæ pericula depellenda electi coercuerunt?

Haud secus Athenis, Morychide archonte (anno ante J.-C. 440), populares magistratus decretum populo probaverunt quo nominatim homines comœdia carpere vetabatur[1]. Duos vero annos id decretum permansit. Mox Aristophaneæ audaciæ impatiens Cleo easdem leges renovare tentat[2] (Isarcho magistratum obtinente, anno ante J.-C. 424); et Agyrrhius quidam comicorum poetarum mercedem

[1] Schol. Aristoph,, ad *Acharn.*, v. 67.= [2] Id., ibid., ad *Vespas*, v. 1291.

minuit; quod ægre tulit idem ille Aristophanes qui judicum mercedem toties irriserat[1]. Mox autem Alcibiades nescio quem Syracusium suscitat[2], qui lege pariter comicam coerceat licentiam. Hæc vero frustra tentata sunt; vim enim comœdiæ populus desiderabat, et justæ libertati necessariam arbitrabatur. Triginta tandem viri, publicis calamitatibus ad summum fastigium evecti, populare illud comœdiæ telum fregerunt. Quamvis enim, ut diximus, populi vitia perpetuo castigaverint comici, et in iis rerum mutationibus, quæ sub finem Peloponnesiaci belli civitatem vexaverunt, multa optimates abolere conati sint quæ comicis jocis millies notata fuerant, senserunt tamen tyranni tetram illam inhumanamque reipublicæ gerendæ rationem facetis poetis probari non posse, quorum ars inter lætos Bacchi ritus enutrita creverat. Adde quod antiquum candorem, antiqua instituta, a comicis perpetuo laudata, sophistarum isti discipuli renovare non statuerant; Areopago enim gravem placidamque auctoritatem non reddiderunt, sed violentius consilium amplexi, minimam civium partem jure suffragii donavere[3] : veriti autem ne tot facinora Aristide ac Miltiade indigna ipsis exprobrarent comici, legem a plebicolis olim latam rursus tulerunt, scilicet ne nominatim[4] postea quemquam arriperent.

Quo quidem ictu perculsa non statim comœdia concidit, ut Aristophanis *Mulierum concio* testatur, nono post tyrannos exactos anno (ante J.-C. 395) in scenam producta, et tot nominibus civium, tot apertis derisionibus

---

[1] Schol. Aristoph., ad *Eq.*, v. 102. = [2] Id., ibid., ad *Av.*, v. 1297. = [3] Xenoph., *Hellen.*, L. II. = [4] Platonius, *de Comœdia.*

referta. At publica paupertas, quæ Peloponnesiaci belli clades secuta est, triginta virorum legem adjuvit, ut ait Meinecke[1]; quum enim vestiendo choro multum pecuniæ nemo impendere vellet, suas ille partes deserere paulatim et silere coactus est. Cæterum illud novitatis, vel in republica, vel in litteris, studium, quo Athenienses semper sollicitabantur, cur antiquum comœdiæ genus paulatim iis sorderet non minima causa fuit : imo quantum optimatibus auxilium comici attulissent, quanta vi popularem statum plebicolasque exagitavissent, ipsi optimates turpiter obliti sunt. Nonne in eo libello quem de Atheniensium republica scripsit, Xenophon populum accusare ausus est quod sese in theatro derideri non pateretur, sed optimos cives comico flagello cæsos æquo animo videret[2]? Scilicet Aristophanes in *Vespis* omnem populum judicandi morbo correptum non luserat; in *Equitibus* vero personam non finxerat populi nomine ac moribus facetissime exornatam! His ergo Xenophontis accusationibus quid injustius excogitari potest? Quamvis acerrimo odio popularem civitatis statum persecutus sit Xenophon, miror certe cur tam manifesta mentiri sustinuerit. Si vero Xenophonti liber non attribuendus sit, fateamur ignotum illum optimatum vindicem studiis suis multo magis quam veritati et prudentiæ consuluisse; non parvam enim auctoritatem istiusmodi mendacia tali operi detrahunt.

—At enim inter triginta virorum exitium Aristophanisque mortem intercedunt anni aliquot quibus antiqua comœdia

---

[1] Meinecke, *Comœdiæ hist.* crit. in primo vol. = [2] Xenoph., *de Athen. republ.*, c. 2, § 18.

nec plane revixit, nec plane extincta est; huc referuntur *Mulierum concio* posteriorque *Plutus*, ubi pauciores viri nominatim castigantur, chori vero partes admodum imminutæ sunt. — Num autem opiniones in his fabulis defensas vituperat Xenophon? Quos tandem ibi acerrime præstrictos videmus? Nonne plebicolas, ipsumque populum, decreta quotidie ferentem abrogantemque?

Si quis ad mediam comœdiam Xenophontis verba pertinere contenderit, in iis quæ ex ea ætate, ex hoc fabularum genere supersunt, quosdam homines satis festive exagitari non negabimus, quos Xenophon et Socratis discipuli cariores haberent; ridiculam nempe Platonis et Speusippi disputationem ab Epicrate effictam, Lycæi sophistas[1] ab Antiphane elusos meminimus; sed magis ac magis a publicis rebus media comœdia discedit; nec iis plerumque jocis utitur, quæ totam optimi viri vitam infamia conspergant. Quum enim idem Antiphanes usurpata quædam a Demosthene verba rideat[2], num ideo Demosthenis adversariis jure adnumeretur? Si quid Antiphanes de republica obiter attingit, divitum potius et optimatum sensus adversus populum interpretari videtur. Immanes enim sumptus chororum magistris injunctos, et graviora vectigalia queritur, et eas rationes quas a magistratibus severissima diligentia populus exigit[3].

Iniquum ergo Xenophontis judicium repudiemus, et quidquid antea sigillatim persecuti sumus uno quasi oculorum

---

[1] Athen., L. VI, p 223. = [2] Plut. (de orat. vita; de Demosth.) = [3] Antiph., *in Mil.*, fr. 1. ed. a Both. in Bibl. Didot (Vide pariter Athen., L. III, pag. 103).

conjectu recognoscentes, populari reipublicæ Atticam tragœdiam comœdiamque nunquam favisse colligamus, vel certe cum plebicolis ad deliniendam fallendamque multitudinem nunquam conspiravisse. Hanc quidem sententiam latius æquo patere multis videbitur; qui fit enim ut, quum apud nostrates liberum scribendi jus concessum fuit, nulla non de rebus publicis, vel moribus, vel religione opinio et in scena, et in libellis, et in actis diurnis defensa sit: apud Athenienses vero, unam fere et eamdem sententiam poetæ commendaverint? Nos vero rem ita se habere respondebimus; quisquis enim Atticam tragœdiam comœdiamque ex superstitibus monumentis fragmentisque noverit, hanc illis notam constanter impressam esse fatebitur; et in omnibus ejusmodi poetis id commune esse quod popularem licentiam non probent.

In Æschylea quidem tragœdia, antiqua religione, antiqui senatus consiliis temperata frenataque libertas celebratur; in Sophocle, patrius quoque vindicatur Deorum cultus, et severissima, ut ita dicam, majestate coronatur; etsi autem acceptissima optimatibus instituta nunquam ut Æschylus Sophocles defendit, et ipsa morum facilitate et animi mansuetudine victam factionem propugnare vetatur, nobilitati tamen aliquam auctoritatem videtur concedere. Mox vero quum novæ doctrinæ ac disputationes Atticam civitatem invasere, et in duas partes totam gentem dividere cœperunt, non dubitat Euripides novis illis rebus aperte studere, nec in præceptis tragœdiæ insertis minus quam in ipsa tragœdiæ forma ab augustis Æschyli vestigiis recedit. Ille ergo libertatis prisca vincula ita relaxanda putat, ut tamen plebeiæ licentiæ non latior aperiatur campus; mediæque conditionis cives eligit, qui æquo pondere rempu-

blicam librent. Patrium vero cultum innumeris vulneribus lædit, quumque, Socratis exemplo, publicis de religione legibus obtemperare conatur, non sine quadam docilis vulgi irrisione, commune jugum accipit.

Hunc circa multi nascuntur poetæ, qui sophisticas in tragœdia disputationes nimio studio persequuntur; in id tamen consentiunt, ut optimatibus, vel saltem primorum ordinum civibus, magis quam plebeculæ faveant. At inter comicos de civitate administranda moribusque civium informandis multo major concordia mansisse mihi videtur : hos quicumque ab antiquis institutis discedit, vel paululum deflectere tentat, statim adversarios habet. Græcis gentibus ut pacem inter se jungant et communi odio Barbaros insequantur suadet comœdia; huc inter tot ludos, tot excogitatas lascivienti ingenio fabulas, tendit; et quamvis nulli civium ordini factionive prorsus parcat, quamvis ipsum Niciam, optimatum ducem, timiditatis arguere non dubitet, levissimis tamen vulneribus Cimonis fautores successoresque præstringit; hi profecto ut in concionibus vincant exoptat. Si quis tamen optimatibus favens, vi et malis artibus vel sophistarum argutiis utitur, nec antiquos mores renovare sincero animo tentat, adversus eum iras et stimulos omnes convertit comœdia.

CAPUT TERTIUM DECIMUM.

CUR UTRAQUE MUSA IN THEATRO ATTICO OPTIMATIBUS FAVERIT.

Unde factum sit ut qui scenam Atticam tanta laude illustraverunt, hanc viam plebeiis studiis diversam sequerentur, nunc tandem disquirere decet. Hæc igitur nobis primum occurrit causa, quæ tragicis pariter comicisque scriptoribus conveniat. Quisquis nempe Athenis fabulam et chorum scenæ inducere volebat, ei statim cum ditissimis civibus res erat, quibus lege populari vestiendi alendique chori munus sumptusque imponebantur; qui quidem, ob id ipsum quod divitiis eminebant, invidam plebis dominationem non consueverant æquo animo tolerare, et plebicolarum jugum a cervicibus excutere gestiebant. Quum autem in ludorum apparatu penes illos multa essent quæ vulgo parva videntur, poetis vero ad prosperos fabularum exitus magnum momentum afferunt, facile credam utriusque musæ vates, quo sibi plenius *choregorum* (χορηγῶν) benevolentiam conciliarent, ad interpretandos divitum civium sensus ingenia accommodasse.

Hæc tamen conjectura diligentius res perspicienti minus ponderis habere videbitur. Inter enim tot divites qui choros adornare jussi sunt, haud pauci exstiterunt, et ii quidem illustrissimi, qui populo adulari solerent, et hac via ad summam gratiam honoresque grassari. Choros Themistocles,

Pericles, Alcibiades instruxerunt; nunquam vero accepimus eos in scena nominatim prædicatos esse, vel consilia eorum scenicis versibus populo commendata; illud enim quod in Alcibiadis honorem, Plutarcho teste, scripserat Euripides, in theatro non recitatum fuisse videtur; Phrynichi autem *Persis* ipsum Themistoclem apertius esse laudatum quam postea ab Æschylo Aristidem nullus nobis auctor est.

Præterea choros ordinantibus adeo non poetæ inserviebant, ut eorum avaritiæ ac sordibus interdum reclamare[1] et quasi ad populum provocare consueverint. Cur igitur popularis rerum status vitiis et licentiæ adversati sint altera gravior causa quærenda est.

Meminimus quidem clarissimum quemque Athenis scriptorem eamdem causam defendisse; Thucydidem, Xenophontem, Platonem, Isocratem, Aristotelem, vel optimatibus, vel mediocribus viris rempublicam melius quam universo populo committi judicasse; sed multiplex illos causa ad hanc opinionem sectandam impulit. Thucydidem enim pro optimatibus in foro stantem plebis ira in exsilium conjecit et animum scribendo occupare atque solari coegit; Xenophontem, Platonem et amicissimos Socrati discipulos magister propriis sensibus imbuit; Isocrates, infirma valetudine vel timido animo a forensibus procellis deterritus, umbratilem rhetorices laudem populari famæ et auctoritati anteposuit; Aristoteles vero Athenis non natus erat, et quum e Macedonia oriundus, Macedonisque regis præceptor esset, Atticæ plebis commoda vel voluntates parum curabat. Clarissimi ergo illi philosophiæ et historiæ conditores, quoniam

[1] Aristoph., *Ran.*, v. 403-405.

populi beneficia, vel sponte sua, vel necessitate aliqua compulsi, non appetebant, populo non adulabantur; quin etiam sibi magnæ laudi fore ducebant, si ingenio tantum fidentes libera illum voce admoneret. At scenicis poetis, plausus, ut solet, avidis, populari favore opus erat : quos ipse Plato arguit, ut hunc sibi favorem conciliarent, varia carminum modorumque genera ad deliniendam multitudinem indecora ac prope sacrilega temeritate miscuisse[1]. Nonne illis igitur sæpius in mentem venit ut populi opiniones ac studia de rebus publicis amplexando, certius in spectantium animos dominari tentarent? Quod reipsa factum fuisse videmus; imo Euripidem illum, qui se a spectantibus doceri nolebat[2], conviciis Lacedæmonios ideo oneravisse, quo Atticis auribus *Andromache* tragœdia melius placeret.

Aliis tamen artibus publici honores publicaque imperia, aliis poeticum decus plerumque captatum est. In theatro enim egregiis operibus ante omnia delectari cupiebant Athenienses, poetarumque consilia, modo eloquentia vel facetiis condirentur, plausu excipere solebant. In foro autem quæ multitudinis cupidinibus maxime arridebant in primis probabantur; si quis ergo non optimi scriptoris laudem, sed exercitus ducendi munus concionumve principatum appetebat, ea populo ante oculos promere studebat, quæ maximos illi fructus, maxima vitæ commoda offerre viderentur; hic ideo plebicolarum assentatio vigebat. At scenicarum fabularum auctores non hac via ad gloriam grassabantur; populi igitur vitia sagacius perspicere et liberius objurgare poterant.

---

[1] Plut., *de Leg.*, L. III, sub finem. — [2] Val. Max., L. III, c. 7.

Quid nempe unum e multis Atheniensem, quum theatro egrederetur, alteri sæpe dixisse putas? « O facetum, aiebat, Aristophanem! Quis comica palma non eum donaret? Quam me ipsum libenter risi, tres obolos a quæstore exspectantem, et injicientem sacculo, et hoc tantum quæstu vitam sustentantem. Quin etiam locus in fabula fuit quo me pudebat plebicolis inservire. — Cleoni igitur proxima concione suffragium recusabis; nec tres obolos accipiendo ridiculus diutius esse voles. — Si ditior essem, fateor, mercedulam non acciperem; at pauperculo commodum est ex ærario vivere, publica negotia regenti, duces, oratores, quæstores judicanti. Me præsertim judicia juvant; gratis vero qui judicare valeam? Si inclusos Sphacteria hostes Nicias vel Demosthenes, a Cleone non adjuti, cepissent, Cleonem exercitibus præficere nollem; hic tamen inopina virtute utilem sese in bello præbuit. Quoties ergo eum judicabo civitati ac mihi prodesse, suffragiis illi res publicas permittam. Ne autem Aristophanem meum vexare, vel scena excludere, vel Athenis ejicere tentet; quo enim jure usus facetissimis me comœdiis orbaret? Peroranti quidem in foro Niciæ clamoribus obstrepo; in foro enim quidquid concio probavit, statim plebiscito decerni ac juberi potest; propositis vero a Nicia decretis populi commoda imminui nolo. Sed Aristophanis consilia, etiamsi valde probata sint, antequam in plebiscita convertantur, aliquandiu perpendi possunt. Nec mihi displicet quod Cleonem nostrum attentis oculis observent comici et quid moliatur me sæpius admoneant; coli quidem a Cleone et curari, et obolis donari volo, non autem decipi et exspoliari, et perpetua derisione eludi. Pergat igitur Aristophanes quid a nostro ingenio et oratorum nostrorum artibus cavendum sit nos oblectando docere. »

Hic autem aliquid sententiæ meæ objici posse video : cur enim idem ille qui procedentem in pulpita plebicolæ personam tantis cachinnis excipiebat, fautores illos antiqui moris, Aristidis Cimonisque successores, deridere non pariter gaudebat? — Scilicet quum maxime comœdia floruit, factio optimatum non tantum pollebat, ut si quid in ea ridiculi esset, omnium oculis deprehenderetur. Nemo enim in republica versatus sese totum explicat et detegit, nisi rebus sæpe vel diu potiatur. At post Cimonis mortem omnes antiqui moris defensores in forensi certamine perpetuo vinci solebant; sive, ut Thucydides uterque, exsilio mulctarentur, sive, ut Nicias, cogerentur expeditiones populari temeritate decretas inviti ducere. Victis vero insultare non gaudebant Athenienses; etiamsi igitur illam factionem comici voluissent deridere, victori populo non ita gratum fecissent.

— At enim optimates non semper victi sunt; nam vergente ad finem Peloponnesiaco bello, civitatis gubernaculum arripuere. — Quid tum fecerit Aristophanes jam diximus : nempe dum floruerunt isti, jocandi facultate adempta, vel siluit, vel res publicas lenius attigit; vix autem libertate reddita, quisquis popularem statum malis artibus et antiquæ virtuti contrariis impugnaverat comicis stimulis pungere cœpit : cæterum laudabili patriæ amore impulsus, bonos cives ad concordiam potius adducere tentavit quam atrocem illam ac minime ridiculam quadringentorum crudelitatem spectantibus in mentem revocare. Eversa autem triginta virorum tyrannide, eædem causæ fuerunt cur invisam factionem, a populo rursus oppressam, poetæ non exagitarent. Critias enim et Eratosthenes, tot cædibus inquinati, quam jocis et comœdiæ materiam præbuissent? At populus ille

Atheniensis, inconstantia et levitate insignis, qui vicissim tam sagax tamque stultus videbatur, quem nunc magnanimi affectus, nunc vana superbia, nunc humani generis amor, nunc crudelissima iniquitas, nunc honestarum artium studia, nunc vilissimæ mercedis spes agere et impellere solebant, ad risum semper festivamque castigationem comicos invitabat.

Adde quod sentiebat populus indolem suam sibi magis quam violentiam istam optimatum cavendam esse; imo ex populari temeritate adversam factionem interdum tantas vires duxisse. Quid nempe Atticam potentiam afflixit, nisi Sicula expeditio et improbata Niciæ consilia? Quum sese populus intra priscæ modestiæ terminos contineret, num Aristidi, modestorum optimatum fautori, difficile fuit sævissimorum principum conspirationem dissolvere? Sed postquam populus ipsa libertate male usus est, pars optimatum, indignatione accensi, ad violentiam omnia jam consilia verterunt; quidam inter sapientissimos cives, quum ægrotare rempublicam intelligerent, ferro et igne medendum censuerunt; multi autem, quos in libera civitate popularis favor ad fastigium non evexerat, imperii consequendi, cunctis rebus mixtis, copiam sibi facere statuerunt.

His omnibus vel irascendi, vel severa meditandi, vel civitatis subvertendæ occasionem populus adimere poterat, si modo recte admonitus vitia sua corrigere vellet; optimates ergo per intervalla coercere necessarium erat, ne traditam a patribus libertatem violento turbine raperent; at semet ipsum populus perpetuo coercere debuisset. Quod non fecit quidem Attica gens, sed faciendum intelligebat, et tragicos comicosve poetas, quum modestiam ipsi vel gravibus verbis, vel festive ludendo suaderent, plausu excepit confirmavitque.

Quæ autem partes ab eminentibus ingenio viris majore gaudio ac superbia poterant suscipi? Qui se populo eo magis placituros confidebant, quo minus ei inservirent. Hominibus enim salutaria cum periculo suadere pauci audent, fortitudine et constantia egregii; sed illos ipsos quorum animus contemnendis regum vel populorum minis impar esset vera impune dicendi facultas allicit. Quis ergo miretur quod Attici theatri vates eo inclinaverunt?

At meminimus inter tragicos comicosque scriptores magnum quiddam interfuisse : illi enim aliquando, Euripide duce, novis opinionibus multa concesserunt; hi autem de religione, et natura, et moribus, et civitatibus ordinandis nil novi disputandum contenderunt. Cur ita se res habuerit, cur in antiquis moribus institutisque defendendis tam bene consenserint comici nobis inquirendum superest.

Inter eos quidem ac sophistas odium jam diu ante Aristophanis fabulas exortum esse Græci *Nubium* testantur interpretes[1]. Non defuere qui obviam omnibus causam et inventu facillimam proponerent; Socrati nempe comicam scurrilitatem displicuisse refert Ælianus[2]; et ipse Plato, quamvis Socratem Aristophani in *Convivio* reconcilict, comœdiam in *Republica* et *Legibus* ingenuis viris omnino indignam judicat. Hæc dixisse Socratem non negabimus, quæ ad conflandum illi odium aliquid forsan contulerunt : non tamen in solum Socratem invehuntur comici, quamquam de sophistis ita loqui solent ut dux eorum Socrates esse videatur; Protagoram nempe cum eo simul

---

[1] Arg. *Nub.* I et X (in schol. a Did. editis). = [2] Ælianus, *Var. Hist.*, L. II, c. 13.

notat Eupolis; Socrati vero adversarium fuisse Protagoram Plato refert. Quid quod Prodicum et Metonem vana somniantibus adnumerat Aristophanes? Latius ergo patet odium illud quo ante omnes Socrates petitur. Quis præterea credat, propter nescio quid a philosopho de comœdia severius dictum, tot et tam acerba in illum comicos ingessisse? Cæterum ipsis illis disputationibus quas *Nubibus* inseruit Aristophanes, non comœdiam, sed antiquos mores et majorum instituta defendit.

Adde quod bellum a comicis scriptoribus philosophiæ et doctis investigationibus indictum non intra Aristophanei seculi terminos continetur. Quis Molerii nostri Marphurium Pancratiumque non meminit? Quamquam autem Gallus ille comœdiæ princeps in omnibus rebus modum excedere vetat, et eam semper rationem tuetur, quæ inter utrumque media sit, nonne in damnanda medicina omnes sapientiæ terminos excessit, quum nihil magis ridiculum esse diceret quam hominem hominis morbum sanare conantem? Quid memorem toties derisas in fabulis, satiris cantilenisve doctorum virorum dubitationes, et contrarias inter se, vel repugnantes vulgari opinioni sententias, et animos, ut ait Horatius, sine corporibus veloces, inaccessaque pertinaciter tentantes? Doctis enim, et res scrutari nitentibus sensus ille communis semper obstitit, quem comœdiarum satirarumque scriptores a se defendi profitentur; cuique omnia nova, vel a vulgari intellectu paulo remotiora suspicionem movent.

Hic equidem quid sensus communis nomine designem plane declarandum censeo. Quædam scilicet rerum notitiæ hominum mentibus sponte insident, quæ semper et ubique mortalium vitæ ac rationibus lucem præferunt,

quæ unde nobis affulgeant nec prorsus novere, nec quærere tentaverunt plerique homines; verissimas tamen esse ac certissimas vivendi cogitandique magistras sentiunt. Æternas autem illas, et immutabiles, et omnibus insitas rerum notiones communis ille qui dicitur sensus, complectitur. Quod si tibi philosophandi et rerum scrutandarum tempus facultasque non defuerint, planius eadem cernere et intelligere poteris; has igitur notiones, collectas in unum et pleniore lumine retectas, jam non sensus communis, sed rationis humanæ nomine decorabis. Si vero ad hæc altius inquirenda nec ingenium nec otium tibi suffecerint, plebs eris, et plebis more, non philosophiæ quidem, sed communis sensus discipulus remanebis. Nil aliud ergo sensum communem dixerim, nisi æternam veritatem vulgi mentibus sponte et sine ulla ratiocinandi ambage, sine ullo investigandi labore prælucentem. Ipsum autem vulgus quo modo erga communem sensum sese habere solet?

Non raro quidem accidit ut procul ab ea luce ignara turba vel libidinibus, vel imprudenti hominum rerumve admiratione, vel speciosis argumentis transversa feratur. Quis enim circulatorum vel plebicolarum facundiæ sæpius inhiat? Quis istorum vanitate facilius capitur, quam plebeius ille qui sensum communem, et insitas sibi a natura vel traditas a parentibus opiniones nullis unquam cogitationibus probare ac confirmare potuit? Quum igitur nullum sibi, præter communem sensum, magistrum fuisse glorietur, ipse communem sensum stultissimus transfuga deserit. Si quis autem illi æternas sensus communis regulas vel gravibus verbis, vel potius jocando, in mentem revocaverit, erroris eum cito pudet, et monitorem suum adeo non odit, ut contra

rectæ mentis vindicem salutet et amplectatur, et sese deinceps sensui communi obsecuturum juret. Imo ipse populus sensum communem, velut publicum humani generis patrimonium, defendere studet : quicumque ergo altius res scrutari audet, nec intra sensus communis terminos continet ingenium, plebeios risus ac diffidentiam movet.

Primum enim in iis rebus, quæ ad vitæ quotidianos usus nequaquam spectare videntur, occupatum hominem cachinnis insectantur plerique ; mox insolitis opinionibus, et, ut dicebant Græci, παραδόξοις imbutum metuunt, quasi totam vitæ rationem subvertere velit, et humanæ societatis fundamenta concutere. Hos autem insciæ multitudinis erga philosophos affectus comici poetæ incendere consueverunt ; quippe qui sensum communem a se adversus privatas opiniones et ipsius populi errores defensum iri profiterentur. Hinc illorum gloria pependit ; hinc sibi populi admirationem simul et amorem conciliavere ; eam enim jocando doctrinam vindicare visi sunt, quæ æterna esset, ac per omne ævum immutabilis, nec tamen indoctæ turbæ inaccessa. Has sibi partes suscipiendas, sagaci quodam mentis instinctu ducti, senserunt Atticæ comœdiæ principes, imo omnium deinceps seculorum ac gentium comici.

Nec ingeniosam illam sensus communis defensionem ipsi philosophiæ inutilem fuisse dixerim : multos, puto, ab inani minutarum rerum indagatione ad graviora revocavit Aristophaneus ille de pulicum saltu jocus ; nec immerito audaces insolitarum sententiarum repertores admonentur quam ridiculum sit vel humanæ vitæ funestum a sensu communi nimium recedere. Bene tamen posteris seculis consuluerunt quos Aristophanea derisio a philosophando

non prorsus deterruit. Huic enim comicorum censuræ plurima inerat prudentia, sed vulgaris interdum, et remotioris paulo veritatis ignara. Inutiles enim res vel humanis mentibus inaccessas inquirere stultum est; quod populus et comici clamant, quod etiam Socrates fatebatur : quanta autem rebus utilitas insit, quanta sit spes quæsita et investigata reperiendi non vulgus plane perspicit. Is nempe qui primus stipulas succino attractas attentis oculis observavit singularia quædam et supervacua scrutari visus est; nec defuerunt profecto qui consumptam in his studiis vitam deriderent. Hic tamen recentiores ad fulminis vim naturamque cognoscendam impulit adjuvitque. Fuisse etiam nonnullos opinor qui Christophorum Columbum admonerent ne incerta pro certis captaret, utque mediterraneum mare mercatoria nave perlustrando, alterius orbis securus, rem familiarem sibi parare conaretur. Magni enim viri multa vident, quæ si pariter discerneret vulgus, spes eorum audaciamque assensu foveret; at cur illi sperent, cur audeant plebs primo non intelligit. Hinc risus, hinc contumeliæ, hinc ista consilia, quæ nisi ab egregiis viris plerumque rejicerentur, generi humano multa excogitandi creandique viam præcluderent.

Quod quidem Athenis quatuor ante Christum seculis evenit. Quid enim communis sensus Aristophanis æqualibus suadere videbatur, nisi ut priscos illos mores priscamque rempublicam retinerent, quibus adversus Barbaros totam Græciam feliciter defenderant majores et in tantum gloriæ fastigium Athenas evexerant? Apparebant undique bonis viris novarum disputationum incommoda, quas multi quidem improbi ad privatam utilitatem convertere cupiebant; quo-

modo autem humano generi hæ disciplinæ prodesse possent pauci tantum plane intelligebant. Illi ergo qui communem sensum et vulgarem istam prudentiam defendendo gloriabantur nova simul vitia novasque doctrinas, pariter suspecta, impugnaverunt.

CAPUT QUARTUM DECIMUM.

QUATENUS REIPUBLICÆ ET HUMANO GENERI EXCOLENDO PROFUERINT NOCUEVERINTVE COMICI POETÆ, ANTIQUI MORIS DEFENSORES.

Nec dubium est quin ipsi Atheniensium civitati multa bona evenire potuissent si consiliis comicorum melius paruisset. Libertatem enim servavisset populus, nulla optimatum violentia, nulla plebis temeritate corruptam; principibus quidem non omnia jura tradidisset, plurima tamen permisisset, quæ mixta doctis et ignaris multitudo non prudenter tractare solet. Externorum bellorum pericula nec fugisset ob ignaviam, nec temere adiisset; Barbaros, communes Græciæ hostes, lacessivisset, ipsam vero Græciam intestinis nunquam vexavisset discordiis; modesto socios imperio vel potius amicitia sibi devinctos retinuisset. Non defuisset festorum splendor, et Musarum cultus, et Attica morum humanitas; sed curiosæ illæ rerum investigationes, quæ priscæ religionis, prisci moris fundamenta labefactant, et priusquam novam lucem hominibus ac populis præferre valeant, malis cupiditatibus defensiones et argumenta præbent, publice fuissent expulsæ. Ita Attica civitas popularis rerum status vitia non sensisset; plebicolis nunquam suadentibus aurem præbuisset; religione, moribus, potestate mansisset integra; sed humano generi quam male consuluisset!

Omnium enim ingeniorum ad res scrutandas properantium motu represso, jam nihil novi invenitur, jam prima philosophiæ semina intereunt. Stant quidem Athenæ; sed humana quoque stant ingenia, quibus stare tantum nocet. Utinam Athenienses propria civitatis suæ commoda communi hominum utilitati jungere ita potuissent, ut in republica gerenda comicorum sententiam et monstratam ab Aristide, Cimone ac Nicia viam sequerentur, novas autem doctrinas coli paterentur et gauderent! Sed temperatam tanta æquitate rationem non amplexi sunt, quam fortasse humana non capit natura.

Novas quidem disciplinas ad summum provexerunt (etsi enim quidam philosophi exsilio vel morte mulctati sunt, Atticæ philosophiæ gloriam brevis ista severitas non extinxit); at in eligendis ducibus consiliisque de republica ineundis comœdiarum scriptoribus quam raro obtemperavere!

Vix enim pacem a poetis toties commendatam ferierant, quum ab Alcibiade stimulati, fœdus turbare gestierunt. Siculam expeditionem, tot calamitatum caput initiumque, num comœdia vetare potuit? Malis quidem edocti, pressique ab hostibus, reipublicæ suæ vitia corrigere tentaverunt, quod ut opus perficerent, a comœdia nonnulla mutuati sunt, quum præsertim decreverunt ne quis publicum munus proposita mercede obiret. Sed mutationis ejus auctores tam malæ cupiditates impulerunt ut omnium odia concitaverint. Post quadringentos senatores eversos et deturbatos tyrannide triginta viros, Athenienses, præteritis calamitatibus magis quam comœdia admoniti, popularem rerum statum ita renovaverunt, ut prisci tamen moris aliquid renascceretur; imo antiquæ religioni clarissimam hostiam mactaverunt, illum

nempe Socratem, tertio ante vicesimoque anno communi omnium iræ ab Aristophane quasi devotum. Mox autem popularis licentia rempublicam rursus invasit; quod non comœdia vetus, tyrannide et Peloponnesiaci belli cladibus exstincta, sed clarissimi ejus temporis scriptores ac philosophi, Isocrates nempe, et Xenophon, et Plato testantur.

Si quid ergo boni malive attulerunt comœdiarum auctores, admodum breve fuit; nec pronum ad omnia nova Atheniensium ingenium remorati sunt. Nisi forte Aristophani imputari velimus quod insana illa legum ac civitatum exemplaria quasi a somniantibus viris descripta repudiaverunt Athenienses. Sed quamvis poetam toto pectore probemus, qui in his quoque rebus communem sensum tanta vi defendit, credimus tamen, etsi *Plutus* fabula et *Mulierum concio* nunquam in scenam inductæ essent, ad hæc stultitiæ portenta Atheniensium animos nunquam adigi potuisse; nec in Græca historia legimus apud Athenienses, ut apud nos, factionem ullam aliquando valuisse quæ humanam societatem ita subvertere pararet. Jamque causam nobis videmur obtinere quam suscepimus tuendam; nempe poetas republica et moribus civium emendandis vel nihil vel pauca admodum profecisse; quod Athenis quidem funestum, sed humano generi excolendo prosperum fuit.

215

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, kalendis octobribus ann. MDCCCLXVII. *Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,*

PATIN.

Typis mandetur,

A. MOURIER,

Procurandis Academiæ Parisiensis rebus præpositus.

D

BINDING LIST APR 15 1920

LGr.H
T812q

242433

Author Tréverret, Armand de

Title Quae in Attica Republica partes a scenicis scriptoribus vulgo defensae fuerint.

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
Under Pat. "Ref. Index File"
Made by LIBRARY BUREAU